



De legitima uindicatione Christianismi ueri & sempiterni, ad nominis Christiani Reges, Episcopos, ecclesiarum Christi & Academiarum Doctores, populumq[ue] Christian? [m], Libri Antisophistici tres

<https://hdl.handle.net/1874/420874>

De legitima uindi- catione CHRISTIA- nismi ueri & sem- piterni:

AD NOMINIS CHRI-
stiani Reges, Episcopos, ecclesiarum Christi &
Academiuarum Doctores, populumq[ue] Christia-
num, Libri Antisophistici tres, scripti a THEO-
DORO BIBLIANDRO contra Sophisticen,
hoc est, fucata & imaginariam &
deceptricē sapientiam.

Argumenta librorum, in fine primæ
actionis contra Sophisticen, in-
dicabuntur fusius.

Et prædicabitur Euangelium hoc regni in
uniuerso orbe, in testimonij omnibus gen-
tibus: & tunc ueniet cōsummatio, ait Do-
minus Christus, Matth. cap. 24.

BASILEÆ.

Digitized by Google

AD SERENISS. REGIS

Anglorum EDVARDI VI. optimum
institutorem, Dominum IOANNEM

CHECVM, uirum clarissimum,
equitem auratum.

LIBER PRIMVS DE LEGITIMA
uindicatione Christianismi ueri & sempiterni: in quo
expenditur sententia Esiae prophetæ cap. 29. & apo-
stoli Pauli 1. Corinth. 1. Perdam sapientiam sapietium,
& prudentiam prudentium reprobabo, &c. Vo-
catur autem Sophistice in iudicium titulo falsi, fraudis,
imposture, adulterij, ueneficij, sacrilegij, & quodam
omnia mala in Ecclesiam inuixerit: summatim uero
explicatur uindicatio legitima Christianismi
ueri & sempiterni.



CCEPIMVS, ornatissi-
me Chece, morem atq;
consuetudinē suisse A-
thenis, urbe sapientis-
sima inter ethnicos, ut
præco dicturis in concione interdice-
ret uti procemijs & affectibus. Id quod
in causa publica Christiani populi ob-
seruandū mihi esse animaduerto. Itaq;
in fine huius actionis causas reddā, ob
quas te primò appellē in causa publica

a 2 & maxi-

& maxima, & Sophisticen primogenitam satanæ, parentem omnium malorum, protrahens in iudicium, populi Christiani potissimum in Anglia que-

*Pensatio
legū diuin
narum de
uindicāda
religione.* siuerim aduocatos & patronos. Si quem igitur nō pīgeat paulo pressius inspicere leges, quas Diuina Maiestas per Mosen tulit de uindicāda religione, quæ Deuteronomij cap. 12. 13. 18. & in libro Leuitico cap. 20. leguntur: is animaduertet, seueras illas quidem esse admodum, & sanguine scriptas, ut olim de legibus Draconis ferebatur.

Nam poenam capitalē, & quidē atrocissimā decernunt, nō modo errorum & hæreſeon & impiæ culturæ magistris, sed etiā ijs qui pseudoprophetis auscultant & obtemperant, seçp à ueri Dei cultu legitimo finunt abduci ad superstitiones. Iis etiā capitale irrogant suppliciū, qui absçp duce & magistro impietatis uiolant sacrosanctā religionem; obnoxiosçp faciunt ultiōni diuinæ: &

næ: & anathemate percutiunt eos, qui
Dei prophetis, Dei uerbum sincerum
annunciantibus nō auscultant, sed re-
spuunt contumaciter. Quin & totas ci-
uitates, in quibus aliqui palam deos fal-
sos colunt & uenerantur, alijs autem ci-
ues ad manifestam connuent impieta-
tem, ac ferunt apertam ciuium suorum
defectionē à Domino Deo, & religio-
ne uera, iubent anathenia fieri, quali
percussa est impientissima urbs Cha-
nanorum Hierichus: ut ciues uniuersi-
tati cum supellectili & pecoribus fundi-
tūs extirpentur. Ceterū actio capita-
lis, quæ uiolatam religionem uindicta
iusta persequatur, non modo cōcedi-
tur, sed etiam iniungitur, & imperatur
ciuibus in ciues, amicis in amicos, fra-
tribus in fratres, coniugibus in coniu-
ges, parentibus deniqz in liberos. Et
grauissimè prēcipit, ut seposito in cau-
ſa publica religionis gloriæqz diuinæ,
affectu misericordiæ, uiolatores sacro-

sanctæ religionis cogniti indicentur iudicibus ordinarijs, & protrahantur in iudicium, & conuicti pœnas dent condignas. Seuerè quidē omnia hęc pręci piuntur, & iudicio hominum quorundam etiam crudeliter. At rursum leges diuinæ de religione uindicāda sunt ita copiose & diligenter & cautè atq; circumspectis probè omnibus circūstantijs scriptæ, ut mites & humanas esse appareat: quippe quæ hominū singulorum & ciuitatū salutem prouehiere, obsistere que malis uelint. Indicant enim quæ sit uera & Deo placita religio, & hominib. salutaris, quam ab omni labore & iniuria conuenit uindicare: & rursum, quæ nam sit falsa persuasio de cultura Dei, quam idoneis rationibus oppugnare & euellere oportet. Indicant etiam, quæ sit uera pietatis doctrina, quæ imaginaria & seductrix: quis item uerus Dei propheta, quis impostor sacrilegus: & quomodo falsi doctores

cōtōres à ueris possint ac debeat non
modò discerni, uerum etiā caueri. Por-
rò uindicatio religionis non soli pon-
tifici maximo, aut sacerdotib⁹ & Le-
uitis, ministris sacrorum & pr̄esidibus
commendatur, non duntaxat regi aut
supremo iudici, & principib⁹ tribuum
xii, quib⁹ politia fuit credita: sed, cūm
illis, tum uniuerso populo imperatur
uindicatio religionis. Et ne quid per-
perām agatur in re maximī momenti,
neu sacra & prophana permisceantur,
ne affectibus humanis aperiatur ianua
sele effundendi sub titulo & pr̄etextu
religionis uindicandæ, iudicij & ordi-
nis author Deus, & non confusionis,
pr̄efinit metam, quo usq; progredi uin-
dicatio debeat: nempe dum obtineat
ea religio, & ea doctrina pietatis, quam
ipse Dominus Deus instituit, tradidit,
suo q; uerbo sempiterno pr̄escripsit, si-
ne omni additamento humanæ confi-
ctionis, sine detrimento, sine corrupte-

la & deprauatione. Dicit enim Lex;
» Quod ego præcipio tibi, hoc tantū fa-
» cito: nec addas quicq; nec minuas. Et
» rursum: Auferes malum de medio tui.
Modus quoq; definit: ut sedulō qui-
dem & strenuē agant homines in uin-
dicāda religione: sed cautē, sed circum-
spectē, ne cui fiat iniuria: sed maturan-
do, non præcipitando. Utq; negligē-
tia locum nō habeat, subinde rationes
honesti & utilitatis asperguntur, quæ
ad opus diuinum extimulent. Quin &
regula uerbi diuini traditur in manus,
quæ actionem præcipuam regat ac mo-
deretur. Necq; omittitur indicatio cir-
cumstantiarū loci & temporis. Iubent
enim leges diuine exercere uindicatio-
nem, quoties, & quā primū innoue-
rit, aliquos labefecisse religionem, aut
moliri nonnihil contra instituta Dei.
Et iubent in ijs locis exercere, in qui-
bus uiolata est religio, cœpit' que lues
grassari, nec tamē in aliena republica.

In ea

In ea enim terra Israelitis uindicatio religionis imperatur, quam ipsi accepissent à Domino. Minimè uero, ut correptis armis Aegyptum, aut Babyloniam, aut Syriā inuadant, tituloq; religionis uindicandæ spolient homines, & iugulent, & permisceant omnia sacra & prophana sanguine & igne, & uastitate barbara. ut Mahumēd, & ante illum rex Parthorū, & Iudaeorū anti christus Barchozba, religionis prætextu latrocinati sunt. Gentes autē Israelite ad religionē ueri Dei inuitare debuerunt suadēdo, hortando, exemplo sanctissimæ uitæ, & officijs atq; beneficijs: illudq; lumen salutare ad uicinos & remotos populos diffundere. Quomodo Hyramus rex Tyri amicus fuit religionis factus, & regina Aethiopū, multiq; proselyti diuersis temporibus.

Quæ consideratio legū diuinarum de uindicanda religione, uidetur Christianis etiam omnibus salutarem & co-

Ad Christianos hodieq; pertinent leges

*diuīne per gnuītu in primis necessariā doctrinam
Mosen la- ingerere. Si enim lex Dei, & uerbum
te, de reli- ac sermo Dei est expressio diuinæ uo-
gione uin- dicanda. Iuntatis ac nature, utque liber Sapientię
dicit, uapor diuinæ uirtutis, & emana-
tio claritatis omnipotētis Dei sincera,
& candor lucis æternę, & speculum si-
ne macula Diuinæ Maiestatis, & ima-
go bonitatis illius: hic liquidè perspi-
citur, Deum, qui per fidelē suum pro-
phetam Mosen leges dedit, nō esse ma-*

*Dei boni- lum, & crudelem, & sanguinarium, ut
tas erga o- Marcion & Manichaeus, & alij quidā
mnes per- hæretici impij blasphemarunt: sed esse
spicitur ex bonum Deum, & beneuolum, φιλαν-
θρωπομ, id est, hominum amantem, ut
hac lege. Paulus uocat: & φιλόφυλχομ, id est, ani-
marum amantem, ut liber Sapientię
uocat, qui nomen paternum, beneuo-
lentię erga suam creaturā testimonium
clarissimum, sibi sumpsit peculiariter,
& infinitis beneficijs bonitatē effusam
prolixè ostendit. Qui per Ezechiem
clamat,*

damat, Nolo mortem impij, sed ut ui-
uat, & conuertatur: & per Esiam, E-
go Dominus Deus tuus, doceo te dun-
taxat utilia: & per apostolū Paulum,
quod uelit omnes ad cognitionem ue-
ritatis peruenire, & saluos fieri. Vn/
de etiam ex legibus, quibus vindicatio
religionis accuratissimè describitur, in-
telligimus religionem, quæ constat no-
titia Dei, & animi pietate, & uite sancti-
monia, rem esse Deo in primis gratam,
& salutarem hominibus: contrā uerò,
simulatam & falsam religionem (nulla
enim gens quantumuis immanis & fe-
ra, nullusq; homo est sine omni religio-
ne) esse Deo maximè aduersam & ini-
micam, & hominum generi pernicio-
fissimam: quæ constat ignorantia ueri
Dei, & animi prauitate, & morum atq;
actionū turpitudine. Deinde quia re-
ligio uera homines cum Deo, summè
& unicè bono, religat & deuincit, ho-
minesq; ipsos sanctissimo & arctissi-
mo uin-

Religio
Deo gra-
tissima res.

Vindicatio
religionis,
actio utilif-
sima & ne-
cessaria.

mo uiticulo coniungit: falsa autem religio, unitatis destructrix, Deum hominesq; dissociat: uindicationem religionis iustam & legitimam, esse actionem præcipuam tum Principum uirorum, tum priuatorum hominum, animus facile per se colligit. Quæ ut salutem publicam & priuatam, si ritè adhibeatur, prouehit: ita, si negligat, aut exerceatur perperam, non potest non ingens malum dare.

*Legez uindi
cande reli-
gionis per-
petua, & iu-
ris natura-
lis.* Nec uero leges hæ umbratiles sunt & typicæ, ut dūtaxatusq; ad CHRISTI seruatoris aduentum debuerint dura-re, sicut mundorum & immundorum animalium discriminem, & ciborum delectus, & certa forma uestitus, aliæq; cærimoniae legales, quæ Christum prænunciarunt, in ipsius salutari aduentu abolendæ, quādo ueritatis corpus præsens umbras significatiuas fugauit. Nō sunt leges politicæ, & soli Iudæorum reipublice accommodatae: ut que præscripta

scripta sunt de usuris, de seruitute, &
manumissione, de cōnubio, & alijs id
genus rebus: quæ pro loco & tempo -
re, & personis, & negotijs præsentibus
post Domini CHRIS TI aduentū pos-
sunt ex æquo & bono publico, & ad
normam perfectę rationis constitui, ut
humani & positivi iuris dicantur. Ve-
rūm diuini & naturalis iuris sunt hęle-
ges, pertinētq; ad Decalogi præcipua
& prima capita, ut unus Deus rite co-
latur, & non plures dīj existant: ut nul-
lum idolum ad uenerationē & religio-
nis usum in Ecclesia Dei prostet: ut ne
mo abutatur uenerando nomine Di-
uinæ Maiestatis. Attingunt etiam ar-
ticulos fidei Christianæ, orthodoxæ,
catholicæ, perennis & sempiterne, qui
confitentur unum Deum, in quo solo
fiducia & spes salutis collocet: Deum
patrem, conditorem universitatis re-
rum: Deum filium, Dominū IESVM
CHRISTVM incarnatum: Deum spi-
ritum

ritum sanctū, qui locutus est per prophetas in unam sanctam catholicam & apostolicā Ecclesiā. Neq; sine maxima causa in lege de iudicio & censura prophetice inseritur uaticiniū luculentissimum de maximo propheta, imo prophetarum & spirituum omnium Domino & Deo: ut Stephanus protomartyr, & Petrus apostolorum princeps, Mosis sententiam cap. 18. Deuteronomio positam exponunt in Actis apostolicis. Quem cæteri etiam prophetæ latorem legum appellat: cui Deus pater omnipotens uoce cœlitùs missa, dum baptizaretur in Iordanē, iussit auscultare cunctos homines. Et Petrus Moses interpretans ait, omnem animam à Deo extirpandā è plebe sua, quę Christo non obtemperauerit. Et ipse Dominus toties protestatus, se non aduersum esse legi Mosaicæ, non abrogare uelle, sed implere & stabilire, ascēdens in cœlū, pro sua Diuina Maiestate imperauit.

imperauit discipulis : Docete omnes gentes, seruare omnia quæcunque manus tuae uobis.

Itaque leges Diuine Maiestatis, quas per Mosen promulgauit de religione vindicanda, in aduentu Messiae per Euangeliū non sunt abrogatae, sed magis illustratae & confirmatae. Hodieque tam pertinent ad singulos populos, ecclesias, ciuitates, regna, imperia, q̄ olim ad Israeliticum populum & ecclesiam.

Et si ullum fuit tempus, quo Christianæ reipublicæ gubernatores, & cum illis subditi populi, extimulari debuerunt ad vindicationem religionis hisce diuinis legibus, et ijsdem legibus regi, ut legitimè vindicent: hodie id ipsum fieri, est in primis necessarium. Nam ut non altius repetam à prima origine, quantum agmine malorum inuexerit in mundū simulata & falsa religio, & falsa religionis doctrina, quæ simulat & mentitur theosebeian & theosophian, ueramque

Tēporum
horum de-
lineatio, et
status ec-
clesie tur-
batiſimus.

ueramqe Dei culturam & sapientiam:
duntaxat uelim inspici tempora, quae
insecuta sunt morte Gregorij magni,
quando Mahumed, cum ecclesiæ Ro-
manæ primatu, ab imperatore Phoca
concessio, insurrexit: & tempora Gre-
gorij septimi, quando unus Christia-
nus imperator Henrichus quartus, se-
xagies bis collatis signis Christiano-
rum, in acie pugnauit: & tempora Bo-
nifacij octaui, quando cum Iubileo re-
uocato in ecclesiam Romanam, insurre-
xit in Asia Ottomanicu imperium.
Maxime autem considerari uelim hos
proximos 38. annos, in quibus diuina
Sapientia, & cœlestis Patris bonitas
mundu arguit de iudicio, & iustitia, &
peccato, per uerbū sempiternæ uerita-
tis, & per sanctū spiritū, omnesqe mor-
tales tuba Euangelici præconij uocat
ad resipiscentiam & salutem, & cōfor-
tium diuinæ hæreditatis in C H R I S T O
I E S U. Egitqe illustrissimus Concor-
diæ

diæ & Mirandulæ princeps, D. Fran-
ciscus Picus, oratione grauissima cau-
sam Ecclesiæ & Christi, Romæ coram
Leone x. papa, & collegio presbyte-
rorum cardinalium, admonens & ex-
hortans, ut reformaret Ecclesia: & lu-
culenter ostendens, quomodo refor-
mari posset ac deberet absq; mora, &
prouidéri in posterum, ne tanta labēs
iterum inualeceret. Inde passim fue-
re in Italia, Gallia, Hispania, Anglia,
Germania, Pannonia utraq;, & in Sar-
matia uiri sapientes, & pij, ac uirtute
ex alto induiti, qui causam publicani
Christianitatis summa diligentia & fi-
de egerunt. Eoq; res per Domini pre-
sentem opē adducta est, ut multi nunc
ueluti apposito perspicillo utriusque
Testamenti, uideant errores & corru-
ptelas in Ecclesia, quas antea uiri ocu-
latissimi etiam non uiderunt: multi e-
mendarunt etiam q; plurima. Ipsiq;
Romani pōtifices aliter nūciudicavit,

b aliter

aliter loquuntur, aliter scribunt de rebus Ecclesiæ, q̄ ante annos quadraginta, & retrò seculis aliquot sit factum.

Quod Adrianī Papæ legatio Norimbergæ in comitij s Imperialibus, quod diplomata Pauli tertij de concilio Tridentino, quod diploma Iulij tertij mensis Maio publicatū Romæ, ut omnes Christiani cum ipso precentur, aliaq̄ pietatis opera faciant, quo pax reparari tandem queat inter monarchas potentissimos nominis Christiani, clarè & abundè omnibus testant̄. Easi quis conferat cum Apostolicis scriptis Eugenij quarti, Ioannis XXIII, & XXII. Bonifacij VIII. Gregorij noni, & septimi (ut innumera silentio præteream) apparebit citò cordatis hominibus, aliud sonare noctuas, dum occupant terram tenebræ: aliud sonare psitacos, qui etiam uoces hominum imitantur, dum coruscat lumē Euangeliū in mundo. Sed in multis locis quid est reformatum

matū ex uerbo Dei publicè aut priua-
tim: Scribunt quidē libri multi, & be-
ne longi, & acerrimi, & præcipue tra-
dunt in manus summorum principum:

qui satis acerbè instigāt omnes ciuiles
magistratus & populos ad cædē & op-
pressionem hominū, qui à præscriptis
Romanæ uel curiæ uel ecclesiæ recesso-
runt non nihil: & negant amplius di-
sputandū cum Lutheranis, ut uocant,
ceu unq̄ conuicti sint hærefeos; & am-
putant nō gladio spiritus, quod est uer-
bum Dei, sed Tenedia bipenni, om-
nem cognitionē maximæ causæ. No-
lo hic τραχυωδεῖη, nolo quiritari, nolo
Camerinam altius commouere. Tan-
tum opto, & oro, & obsecro, & Deum
seruatorem & iudicem omnium obte-
stor, ut tum alij, tum maximè authores
eiusmodi uoluminū, perpendant exa-
ctius, quo iure diuino uel humano,
quo spiritu, qua modestia Christiana,
qua ratione probabili, quo exemplo

*vindicatio
Christia-
nismi pre-
posta.*

hæc fiant. Inquisitiones exercentur in
omnes ordines principū Christiano-
rum, & populi, plerūq; à monachis
imperitis rerum ecclesiasticarū, impe-
ritis diuini & humani iuris, aliquando
etiam abhorrentibus à communi sen-
su: ne quid grauius dicam. Et in causa,
quæ pertinet ad gloriā & culturā Dei,
ad salutem animarū, ad publicam inco-
lumentatem, conceditur & tribuitur ali-
cubi delatorib. & quadruplatoribus
longè plus, q; aliqui prudentes inter e-
thnicos príncipes in leuiculo negotio
permisissent. Edicta etiā Christiano-
rum magistratuū extāt, quæ horrenda
& grauissima quæq; minantur ijs, qui
uel digitum latum à traditionibus ec-
clesiae Rom. deflectūt. Et minas haud
quaquam esse uanas, res ipsa nimium
probat, tōt millibus hominum exutis
patrimonio suo, aut etiā penitus extin-
ctis, per Christianos, titulo religionis
uindicandæ. Religio autem q; feliciter
hisce

hisce modis & rationibus instaurat: q̄ bene purgatur Ecclesia: Exoriunt denuò, & in orbem hunc ab inferis redeunt, aut qui fuerunt iamdudū, incre scunt numero, & uires subinde maiores accipiunt, Pharisei, Saducei, Simoniaci, Ebionitæ, Cerinthiani, Gnosti ci Borboritæ, Manichei, Marcionitæ, Montanistæ, Enthusiaſtæ, Ariani, Semariani, Sabelliani, Monarchici, Pelagiani, Donatistæ, Massaliani, Epicuræi. Et quis enumeret omnes istas pestes: Interea uero tēporis quot & q̄ se ua bella fuere, tum extera, tū intestina: Et per quos commota, si origines ipsæ inuestigent: Quot clades Christianorum terra & mari: Quantæ passim calamitates: Quæ mala omnia nullus calamus & liber caperet, nullum os & lingua enunciaret: nullus animus ab humanitate et pietate Christiana haud abhorrens, satis deplorare potest. Hęc profecto mala, hi morbi lethiferi, qui

b 3 membra

mēbra Ecclesiæ tam exteriora q̄ interio
ra medullitū absūmūt, postulāt medi
cinā aptiorē, q̄b hactenus nōnulli adhi
buerint, magis intendētes mala, q̄b re
pellentes. Quos Hieremias propheta
ut imperitos medicos reprehendit, &
quidē grauissimè, cap. 6. simulq; ostendit
» dit medicinā efficacē, inquiens: Hæc di
» cit Dominus: State super vias, & uide
» te, & interrogate de semitis antiquis,
» quæ sit uia bona, & ambulate in ea, &
inuenietis refrigeriū animab. uestris.
Sed quæ nā mihi uideañ esse causa om
nium malorū hodie in Ecclesia, & quo
modo possit ac debeat diuinitū mon
stratis rationib. ac uijs submoueri, &
quid me impulerit, ut homūculus uix
ingenio mediocri, doctrina modica, e
loquētiā exiliori, autoritate nulla in
structus, tamen ultrò publicam totius
Christianitatis causam in me recepe
rim, exponā nūc breuiter. nam ad insti
tutū maximè uideñ pertinere. Etenim
planè

planè constituerā posthac in scribēdo
abstinere ab argumentis, quæ ullā spe
cīē habent cōtentionis, existimans me
hac in parte abundē functū esse officio
meo, libellis aliquot editis, in quib. ad.
tuli in mediū rationes acceptas è libris
diuinis, & ex alijs bonis authoribus,
quibus Christiana resp. instaurari, &
in posterū conseruari posse uideſ. Ma-
ximè cōscripto nuper libero & uniu-
fali Concilio, in quo Dominus C H R I-
S T V S, & cū eo delectissimi príncipes
Ecclesiæ catholice dicunt sentētias au-
thenticas, ut possit ac debeat Christia-
no populo fermè extincto succurri per
legitimā Ecclesiæ reformationē. Itaq;
reliquū uitę meę tēpusculū per Domi-
ni gratiā statuerā impendere catholicæ
& cōpendiosæ interpretationi sacrarū
literarū, interpretādo simul res & uer-
ba Ebraica, & Græca, & Latina, que ex
tāt in libris diuinis prophētarū & apo-
stolorū, Ac si mihi fas est crepare etiam

illud grāde σόφος, in animo erat, post-
hac me totū applicare ueteri & sinceræ
philosophiæ & theologiæ instauradę.
ut homo studiosus, ingenio saltē me-
diocri præditus, nō admodū lōgo tem-
pore, nec̄ labore ingēti, possit rerum
diuinarū & humanarū notitiam com-
prehēdere animo & linguis sacris, aut
uernaculo sermone eloqui propriè &
perspicuè, et apte: quam diuīnam facul-
tatem σοφιæ & sapientiam dixere ue-
teres. Quumq; hisce ferijs Theopha-
niorū, quibus Ecclesia Dei sancta per
totum orbē celebrat natalē Christi fer-
tiatoris & principis opt. maximi lau-
dibus & gratulationibus, captato au-
spicio felicissimo aggrederer stylo pro-
sequi, uniuersi mundi cōpendiosam, et
saluti corporum atq; animarū accom-
modatam explicationem, Opus iam
dudū principibus mei populi, & Hel-
uetiæ patriæ meæ charissimæ dedica-
tum, ipsius præfationis meditatio ite-
rum me

rum me abripuit in grauissimū certamen. Conabar enim præfando animis & cogitationibus hominū subiçere, ut machina hæc pulcherrima, terra, mare, cœlū, illeç mundus, qui à pulchritudine accepit nomen, sit domus amplissima, omnibusq; rebus instructa copiose, & ornata undequacq; uel potius templum augustissimū, operibus admirandis sapiētiæ & bonitatis & omnipotentiæ diuinæ depictum, & exculptū ab omni parte: in quo Diuina Maiestas habere domiciliū & conuersationem atcq; consuetudinē cum mortalibus dignata est. Hominem uero ipsum paruum esse mundū, et secundarium, ac ueluti epitomen uniuersitatis rerum, in quo amplissima fabrica mundi uelut in *σωό* ~~τε~~ conspicī queat. Nec modò uernulam esse hominem in magna illa domo Dei, sed etiam filium familiās, & hæredem omniū bonorum Dei, ac dominum & regem: in templo

autem catholico & facerrimo non i-
maginem pictam aut sculptam, & for-
matam ab homine artifice, sed Dei ui-
uentis imaginem uiuam, manu ipsius
opificis & parentis, ad ipsius etiam si-
militudinem & imaginem faberrime
factam: esse denique sacerdotem altis-
simi, sub pontifice max. & rege supre-
mo C H R I S T O : qui, ut filius Dei con-
substantialis, primatum in omnibus
tenet iure optimo, tam diuino quam
humano. Quas equidem rationes tam
evidentes, tam que eximias, vincula
esse iudicauit, quæ homines cum Deo,
& ipsos inter se homines in summam
concordiam & unionem deuinciant,
ita ut sanctioribus & firmioribus cla-
uis deuinciri nequeant: quæ que ani-
mos hominum honorificis de opt. ma-
ximo Deo & parente cœlesti senten-
tij informent, & uoluntatem flectant
uirtute quadam etiam diuina ad omnes
præclaras actiones. Itaq; cogitatio il-

la de

la de mundi opificio me extra museo-
li mei parietes sublimem euexit, utiu-
uaret paulisper expaciari per mūdum
ipsum, præsertim per orbem Christia-
num in Europa. Et euestigò animus
se se proripuit ad caput orbis quon-
dam, ad urbem sanctam, ad ueterem
sedem atq; domicilium Christianæ re-
ligionis, ad apostolicam Petri & Pauli
cathedram. In qua non pauci afferunt
iam sedere Papā pro rege regū C H R I-
S T O, & summo, sanctissimo, eternoq;
pontifice: atq; adeò esse legitimum &
uerum C H R I S T I pacifici principis ui-
carium, in cuius natali cecinuit angelo-
rum chorus letissimum Euangelium:
Gloria in excelsis Deo, & in terra pax,
hominibus obdonia, id est, bona uolu-
tas, gratia, fauorq; superni numinis: &
edixit, seruatorem natum omni popu-
lo. Inde percurrit animus Italiam to-
tam, Gallias, Hispanias, insulas que
obiectas ubique, Germaniam quoque
& Pan-

& Pannoniā, & Sarmatiā, Thraciā,
Græciā, Illyricū.

Etecce uobis, ubique fermè sentire
mihi sum uisus pro pace discordiam,
& bella etiam ciuilia & intestina inter
ipſos Christianos, pro diuina beneuo-
lentia erga nos miseros homines, ingra-
titudinem foedissimam: pro studio glo-
riæ Diuinæ Maiestatis, contemptum,
& blasphemias, et sceleratam uitam: ut
dedecus etiam nominis Christiani, re-
dundet ad hostes nominis Christiani.
Qui uel eam ob causam maximè ab-
horrent à Christianismo: quia uident,
& audiunt, & percipiunt omnibus sen-
tibus, Christi discipulos, & commili-
tones, confortes, cohæredes, fratres,
deniqꝫ membra, furiosius in mutuam
perniciem ruere, quam ullæ belluæ fa-
ciāt. Namqꝫ odijs capitalibus, & atro-
cibus probris, quibusdam etiam ne-
fandis, spoliatione fortunarū, exilijs,
uinculis, carceribus, infamia extrema,

& cri-

& criminibus atrocissimis perfidie, de fectionis, hæreseos, schismatis, sacrilegij, impietatis, adhæc cædibus, & tormentis exquisitis, & extrema barbarie atq; immanitate mutuum persequunt, idq; titulo & prætextu religionis Christianæ uel tuendæ, uel instaurandæ, uel propagandæ. Quum tamen ali⁹ uindicationem legitimā Christianismi negligant, ali⁹ perperām exerceant ex animi prauitate, studio que immoderato sua comparandi cōmoda quo iure qua ue iniuria, uel ex errore & ignorantia. Ut fit in seditionibus, dum multi accurrūt ad partes, & tamen nesciunt, quid defendere, aut quid oppugnare propositum sit. Utq; paucissimis uerbis meā peregrinationē absoluā, in orbe Christiano eam mihi sum uisus Ecclesiæ uidere faciē, qualē Hilarius & Eusebius, & ali⁹ scribūt fuisse tēporibus Arianæ persecutionis: dū Christiani Christianos persequerent nihilo clementius, q; fecerant

fecerant tyranni, ex professo nominis
Christiani hostes, Diocletianus, De-
cius, Domitianus, Nero, & alij. Nunc
pròh dolor (ait Hilarius , fortissimus
catholicæ fidei assertor & uindex, cum
Athanasio beato) diuinā fidem suffra-
gia terrena cōmendant: in opsc̄p virtu-
tis suæ CHRISTVS, dum ambitio no-
mini suo cōciliatur, arguit. Terret exi-
lijs & carcerib. Ecclesia, credic̄p sibi co-
git, quæ exilijs & carcerib. est credita:
pendet ad dignationem communican-
tium, quæ per sequentiū est consecrata
terrore: fugat sacerdotes, quæ fugatis
est sacerdotib. propagata: diligi se glo-
riae à mundo, quæ CHRISTI esse non
potuit, nisi eam odisset mundus. Quid
aut illud sit quod ignorandū ultrà non
sit, breuiter exponat. Secundū placitā
Deo plenitudinē coartata sunt tempo-
ra. Circūscripta enim ratio eorū coele-
stibus libris docetur. Ac necesse est in
ipsam nos ætatem Antichristi incidis-
se; cui

se; cui, secundum Apostolum, mini-
stris satanæ in lucis se angelum trans-
formantibus, ab omnium ferè sensu &
cōscientia is qui est CHRISTVS abo-
letur. Vt enim erroris affirmatio cer-
ta sit, incerta uero antefertur opinio :
sitq; Antichristo iam peruium, C H R I-
S T V M eum esse si falleret, de quo nunc
usq; discessum est. Hinc illæ uariæ o-
piniones; hinc sub unius C H R I S T I fi-
de, prædicatio plurimorum; hinc Arij
spiritus nuper ex angelo diaboli trās-
figuratus est in angelū lucis. Cuius he-
reditas omnis ad Valentē, Vrsatium,
Auxentiū, Germiniū, Caium, succes-
satq; defluxit. Nam ipsi nunc C H R I-
S T V M nouū, per quem Antichristus
subreperet, intulerunt. Hæc Hilarius.

Porrò malorū omniū, que C H R I S T I
Ecclesiam diutissimè iam & seculis ali-
quot conficiunt, principē causam & o-
riginem diu inuestigando, aliam non
possum inuenire, quam ignorantia, &
quidem

*Causam
lorū in Ec-
clesia, sa-
phisticæ.*

quidem crassam & affectatam, quæ nem
minem Christianū excusabit in die iudicii
diuini. Sicut Dominus Christus
„ dicit Ioan. 15. cap. Si non uenissem, &
„ locutus fuisset eis, peccatum non ha-
„ berent. Nunc autem excusationē non
habent de peccato suo. Et tamen Pe-
trus ait, Per ignorantiam Iudaicæ gen-
tis CHRISTVM crucifixū esse. De qua
idem Petrus apostolus libro quinto
ἀναγνώσεω, seu Recognitionum Cle-
mentis, Romani ciuis, ita differuit: Infi-
delitas dum non credit futurum iudi-
cium Dei, peccandi licentiam præbet:
peccatum uero hominē passionibus
obnoxium facit. Fides autem futurū
esse Dei iudicium credens, cōtineth ho-
mines à peccato. Non peccantes uero
non solum liberi sunt à dæmonibus &
passionibus, uerū & aliorum dæmo-
nes & passiones fugare possunt. Ex
scientiā si-
mulans his ergo omnibus colligit, quod origo
totius mali ab ignorantia descendat, &
ipsa

ipsa sit malorum omnium mater. Quæ incuria quidē & ignavia gignitur, negligētia uero alitur, & augetur, atq; in sensibus hominum radicatur. Quam si quis forte doceat effugandam, uelut antiquis & hæreditarijs sedibus moleste & indignanter auellitur. Et ideo paululum laborandum est nobis, ut indagantes ignorantie præsumptiones, scientiæ ratione resecemus in his præcipue, qui in aliquibus minus rectis opinionibus præuenti sunt, per quas quasi sub specie alicuius scientiæ ignorantia in eis uehementius radicata est.

Nihil enim gratius, quam si id quod ignorat quis, scire se credat: & defendat uerū esse, quod falsum est. Quod tale est, quale si quis ebrius sobrium se putet, & agat quidē cuncta ut ebrius: sobrium se tamen & ipse putet, & dici à cæteris uelit. Ita sunt ergo & hi, qui ignorantes quod uerum est, speciem tamen alicuius scientiæ tenent, & ma-

c la qua-

scita simili
tudo s. qua
et Bœribus
utitur in 4.
de Conso-
tione Philo-
sophiae.

la quasi bona gerūt, atq; ad perniciem
 veritatis quasi ad salutē festināt. Propter quod
 cognitio ante omnia properandū est ad agnitio
 pellit ignorantiam. nem ueritatis: ut possimus quasi lumi-
 nes nobis inde succenso, errorum tene-
 bras depellere. Grande enim malum
 Theologi est, ut diximus, ignorantia. Sed quia
 doceant, ma substantiā non habet, facile ab his qui
 lum esse &
 studiosi sunt, effugatur. Non enim a-
 est enim tā liud est quidem ignorantia, nisi non a-
 tū boni pri gnouisse, quod expedit. Vbi autem a-
 uatio.
 gnoueris, perit ignorātia. Quæri ergo
 magnopere debet agnitus: quā nemo
 alius potest adsignare, nisi uerus pro-
 pheta. Hæc enim porta est uitæ, uolen-
 Christus u-
 nicus magi-
 ster uerita-
 tis.
 tibus ingredi: & iter operum bonorū,
 pergentibus ad ciuitatem salutis. Et
 libro primo, quum de mūdo plura in-
 terrogasset Clemens, ad ea respondit
 Petrus. Breuiter tibi, o Clemens, re-
 rum scientiam tradam: & ausculta iam
 nunc. Voluntas & cōsilium Dei latuit
 homines multis ex causis. Primo qui-
 dem,

dem, pro institutione mala, pro sodali-
tatibus pessimis, pro cōsuetudine ne-
quam, pro colloquijs non bonis, pro
præsumptionibus minus rectis: pro
his inquam omnibus primū error is,
inde cōtemptus, tum infidelitas & ma-
litia, auaritia quoque & uana iactantia, Mundus u. a-
aliaque his similia mala uelut fumus qui-
dam immensus uniuersam mundi hu-
ius domū repleuit, & habitantibus in-
trinsecus intuendi cōditorem suum a-
spectum liberum non dedit, necque quæ
ei essent placita peruidendi. Quid igite
his qui sunt intrinsecus conuenit, nisi
ut ex intimis præcordijs clamore prola-
to, auxilium inuocent eius, quē solum
domus fumo repleta nō claudit: ut ac-
cedens aperiat ianuā domus, quo pos-
sit fumus quidē qui intrinsecus habe-
tur, excludi, lux uero solis quæ extrin-
secus resplendet, induci? Hunc ergo
qui ad auxilium domus caligine igno-
rantie & uitiorū fumo replete perqui-
ritur,

ritur, illum esse dicimus, qui appellatur uerus propheta, qui solus inluminare animas hominum potest, ita ut oculis suis uiam salutis euidenter inspiciant. Aliter enim impossibile est de rebus diuinis æternis cognoscere, nisi quis ab isto uero propheta didicerit.

*Vnde nam iudicia diuersa inter homines de rebus maxi-
me diuinis.* Quia sicut ipse paulo antè memoria bas, fides rerum causarum cù sententie pro ingenijs magis defendantium pon derantur. Vnde & eadem causa nunc iusta, nūc iniusta putatur: & quod modo uerum uidebatur, alterius adsertio ne falsum uidetur. Ista de causa religio nis ac pietatis fides ueri prophetę præ sentiam postulauit, ut ipse nobis dice ret de singulis, prout se ipsa ueritas ha bet: & doceret, quomodo oporteat de singulis credi. Hæc Petrus, signifi cans prophetam illum maximum, Dei sapientiam, & uirtutem, & ueritatem supremam. De quo antea dictum est.

Sophi-

Sophistice igitur, hoc est, imaginaria *sophistic.*
& ficticia sapientia, quæ diuinā sapien- *diaboli fi-*
tiam & religionem simulat ac menti- *lia, omniū*
tur, nata ē cerebro serpentis, qui pri- *malorum*
mos homines in hæresim perduxit, ut *parentis.*
gustando pomum uetitū à Deo, uel-
lent Dei similes euadere subito, causa
est præcipua & unica omnium malo-
rū, quibus Christianus populus & to-
tus mundus hodie atteritur. Hæc Ate
illa est, quæ interturbat omnia. Hæc e-
nim primogenita satanæ, principis te-
nebrarum, & parentis mendaciorum,
& cædis, atq; omnium scelerum, Cain
impulit ad parricidium, & totum mun-
dum corrupit ante diluuiū, ut omnīs
caro suam uiā corrumperet, specie bo-
na quidem, fidelibus cum infidelibus
contrahentibus matrimonia; unde na-
ti sunt & educati homines ambigui in
religione, & neutrales, ut uocant. Ea-
dem postea seduxit gentes, et distraxit
in diuersas sectas pernicioſissimas: ut

c 3 Paulus

Paulus testatur, cōcionans in Areopago Athenis. Eadem Israelitas affixit
fāpissimē, ut prophētē conqueruntur
de suis temporibus. Hāc illa parens
infelix, & nutrix est istius portenti, in
cuius manu dolus prosperatur, ut ait
Daniel: & mysterium iniquitatis ope-
ratur in signis & prodigijs mēdacijs,
& omni seductione iniquitatis, ut Pau-
lus ad Thessalonicenses scripsit. Vocat
autem sapientiā huius seculi, quæ stu-
titia sit apud Deū: & Τὸν διώνυσον μηρύνω,
σὺ, id est, falsi nominis scientiam, quæ
pugnet cum sacris Domini C H R I S T I
sermonibus, & cum doctrina ueræ pie-
tatis. Et rursum ad Romanos scribens,
μωροσοφίαρι istam æmulam diuinæ sa-
pientiæ reprehendens in philosopha-
„ stris ethnicis, ait: Dum uellent sapien-
„ tes esse, stulti facti sunt, & euanuerūt in
„ cogitationibus suis. Iacobus autē apo-
stolus 3. cap. uocat sapientiam terre-
nam, animalem, diabolicam, haudqua-
quam

quā uenientē supernē à Deo patre lu-
minū, quæ cōtentiones pariat. Veram
aut̄ sapientiā, quæ supernē uenit, dicit
pudicam, pacificā, modestam, *εὐπεθῆ*,
morigerā, plenam misericordia, & bo-
nis fructibus. Cæterū Solomon rex,
omnium mortaliū sapientissimus, sub
imagine matronę honestissimę ueram
sapientiam: æmulam uero ipsius sophi-
sticen sub imagine impudētis meretri-
culæ, iactantis felse, & magnificè polli-
centis, cōponit, cap. 9. libri Proverbio-
rum. Sapientia, inquit, ædificauit sibi *"Antihe-*
domum; excidit columnas septem: im- *"sis diui-*
nata So-
molauit uictimas suas: miscuit uinum: *"phie &*
proposuit mensam suam: misit ancillas *"Sophisti-*
suas, ut uocarent ad arcem & ad mœ- *"ces, u-*
nia ciuitatis. Si quis est paruulus, ue- *"tramq;*
niat ad me. Et insipientibus locuta est: *"suis colo-*
Venite, comedite panem meum, & bi- *"pingēs,*
bite uinum, quod miscui uobis. Relin- *"*
quite infantiam, & uiuite, & ambulate *"*
per uias prudentiæ. At qualem se ex *"*
absenti

„ aduerso iactitat adulterina sapientia:
 „ Mulier stulta, & clamosa, plenaq; ille-
 „ cebris, & nihil omnino sciens, sedet in
 „ foribus domus suę, super sellam, in ex-
 „ celso urbis loco, ut uocaret transeun-
 „ tes per uiām, pergentes in itinere suo.
 „ Quis est paruulus, declinet ad me. Et
 „ uæcordi locuta est: Aquæ furtiuæ dul-
 „ ciores sunt, & panis absconditus sua-
 „ uior. Et ignorauit, quòd ibi sint gi-
 „ gantes, & in profundis inferni conui-
 „ uæ eius.

Sophistice Hæc igitur Ate è cerebro draconis
 dux furia- infernalis nata, ut Mineruā è cerebro
 rum, et ui- Louis natā poetæ dixerunt, dicit exer-
 torū atq; scelerum. citum non Amazonum, ut olim Pen-
 tesilæa; non Palestinarum, ut Goliath,
 sed furiarum, sed uitiorum omnium,
 sed flagitiorū, idolomaniæ, superbiæ,
 inuidiæ, odij, auariciæ, luxuriæ, impo-
 sturæ, iniustitiæ, discordiæ, seditionū.
 Quæ hydra Lernæa nisi armis cœlesti
 bus conficiatur, nullus finis malorum
 in eccl.

in ecclesia sperari potest, nulla pax, nulla cōcordia, nulla reformatio, nulla integritas. At quibus nam armis? Qui bus Dominus CHRISTVS satanā tentatorem, istius portentī Sophisticī parentem, in deserto superauit: sententijs nimirū diuinis, ex armamentario legis Mosaicæ depromptis. Hæc tela sunt, hi sunt lapides in pera nostri Davidis pastorali repositi, quib. immanē Goliath prostravit. Eiusmodi lapidibus, funda sermonis simplicis & perspicui excussis, Lernæum monstrū ptere, ferire, plagis conficere, uindicare est Christianismum uerum & sempiternum: in quo simul Dei gloria, & hominum salus potissimum uersatur.

Et quid uocem legitimam uindicationem Christianismi, summatim hic explicabo. Nam librum postulat totū, in quo leges diuinæ, & theologorum, & imperatorum, & canones pontificij excutiantur, de uindicatione religio-

Armis cœlestibus cōficienda so phistice.

*Quid sit
legitima
Christianis-
mī uin-
dicatio*

nis. Verbum quidem uindicandi na-
tiuo suo significatu nihil nefarium, ni-
hil uiolentum, nihil iniuriū menti of-
fert: sed tantum quod bonis legibus,
& iuri diuino consentaneum est. Vin-
dicta enim, ut scribit diuus Boethus in
Topicorū Cic. enarratione, uirga fuit,
quam prætor imponēs capiti serui ma-
numittendi, & uerba solennia quædā
pronuncians, eundem seruum in liber-
tatem uindicabat. Et rursum idem Se-
uerinus Boethus: Vindex, inquit, est,
qui alterius causam suscipit uindican-
dam: ueluti quos nūc procuratores uo-
camus. Quapropter uindicare signifi-
cat, iustè liberare, & afferere, & tueri à
malo: quodq; nocet, idoneis rationi-
bus & licitis depellere: itēq; ulcisci, &
punire & castigare illos qui sunt cōme-
riti. Quomodo Cicero in priori libro
de Inuētione oratoria, uindicationē iu-
ris naturalis partem finit: per quā uim
& contumeliam, defendendo, aut ulci-
scendo,

scendo, propulsamus à nobis, & à nostris, qui nobis chari esse debet, & per quam peccata punimus. Itaq; uindicationem Christianismi legitimam uoco, actionem Ecclesiæ publicam & priuatam, quam Deus instituit: ut religio uera conseruetur ab omni labe & iniuria, & labefacta instauretur, & recupetur penitus amissa, utq; promoueat etiam ad alios, maximè ad nostros posteros & uicinos. Eadē propulsat, quæcūq; incōmodat religioni ueræ, ut doctrinæ corruptæ, & superstitiones, & exēpla praua: cohiceritq; & castigat uiolatores sacrosancte religiones. Minimè uerò nouas religiones gignit, uel inuehit, uel confirmat, necq; diuinitus traditam institutionē piè & sanctè & beatè uiuēdi, cōmutat, uel oppugnat.

Eius uerò diuinæ actionis partes sunt plures: quarum aliæ pertinent ad uniuersos Dei cultores, aliæ duntaxat ad eos qui munus publicum gerunt.

*Vindicatio
nis partes,
ad omnes
socios reli-
gionis per-
tinentes.*

Omnium

Omnium enim est, Christianismum
plurimi facere, & admirari, ut incom-
parabile donū cœlestis bonitatis. Vt
Dominus ostendit in parabola marga-
ritę preciosę, quam studet homo com-
parare sibi omnibus rebus diuenditis.
Deinde omniū est orare, ut tanti bo-
ni tum nos, tum alijs existāt participes.
Quomodo ecclesia Hierosolymis o-
rat: & CHRISTVS iubet orare, ut do-
minus messis protrudat operarios.
Ad hæc eniti summa ope ad Christia-
nismi cognitionē solidam, legendo, au-
scultando, meditādo. ut Maria sedens
ad pedes Domini, audit uerbū, & lau-
datur, ut quæ partem elegerit optimā,
quæ non auferatur. Confiteri quoq;
oportet Christianismum, etiam cum
periculo, si usuueniat. Sicut præcipit
» Dominus: Qui me non confessus fue-
» rit, abnegabo & illum. Et exempla
utriusq; ecclesiæ plurima nobis sunt
proposita; in primis beati lob exem-
plum,

plum, cuius confessionem suo loco re-
citabo. Sancta etiam uita ornare opor-
tet, atq; cōmendare institutionē Chri-
stianā, & sancta conuersatione allicere
etiam alios: quod Petrus & Paulus, &
alijs scriptores diuinī præcipiunt sāpe-
numero, & grauiter. Omnia quoq;
est, qui notitiā Christianismi per Do-
mini gratiam assecuti sunt, lucernā hāc
non sub modio celare, sed ponere su-
per candelabro, ut alijs etiam luceat,
qui uersantur in domo. Nam beatus
Moses, dum zelo inepto Iosue peteret
cohibere Eldad & Medad in castris Is-
rael prophetantes: *Quis det, inquit, ut totus Israel prophetet?* Maximè pa-
trisfamiliās est, domesticos suos ad pie-
tatem excitare, & eam instillare. Vtq;
omnes studere debent, alias Christo
Iucrifacere: ita etiam repugnare conue-
nit ijs, qui falsam adferunt doctrinam.
Vnde pseudopropheta castigatus, ut
in Zacharia legitur cap. 13, dicit: *Illiis*
plagis

„plagis affectus sum in domo diligenter
 „tuum me. Certè minimè tueri decet, aut
 receptare, multumq; habere cum illis
 commercij, qui Christianismo palam
 aduersantur. Quandoquidem Ioannes,
 ne Aue quidem illis dicere permittit,
 qui non adferunt CHRISTI doctrinā.
 Extant & leges Christianorum principum,
 aduersum receptores hæreticorum.
 Fauere autē & iuuare illos, qui
 fideliter insistunt doctrinæ pietatis, &
 qui sunt alioqui fidei cōsortes, Paulus
 non semel præcipit. Ethæ fermè par-
 tes sunt tam priuatorum, quam geren-
 tium munera publica, uel ecclesiastica
 uel politica, in vindicando Christiani-
 smo. Peculiariter ad magistratus spe-
 tuum partes
 in vindican-
 do Christia-
 nismo.

stat, operam dare, ut publicè doceant,
 & sacramenta Ecclesie dispensent, uiri
 pijs, sancti, eruditi, & alijs charismatib.
 necessarijs instructi, quod Apostolici
 canones Pauli, & constitutiones impe-
 ratoriæ docent. Deinde, ut in scholis
 educen-

educentur idonei pastores & docto-
res ecclesiarū, quę res Samueli, & pro-
phetis, & bonis regibus in primis cu-
ræ semper fuit. Tum ut bona ecclesia-
stica in usus pios collata, benè dispen-
sentur, quam rem diuinus Moses, con-
dens iam testamentū, præcipue com-
mendauit duci Iosue, & reliquis princi-
pibus: suntq; Imperatorum Christia-
norum ea de re grauissimę constitutio-
nes. Danda est opera etiā, ut discipli-
na & censura diligēs cōseruetur, maxi-
mè per synodos statas, aut cōceptiuas,
ut Apostolorū canones, & principum
Christianorum sanctiones uolunt, bis
annuatim synodos celebrari. Aliorū
etiā religio & uita, moderata seueritate
per censores ecclesiasticos emēdari de-
bet, si res postulat. cuius rei exemplum
est in epistolis Pauli ad Corinthios: &
morem Ecclesiæ ueterē Tertullianus
describit in Apologetico. Facileq; no-
stro seculo, quantūvis exulcerato, cen-
sus

suram & disciplinam Ecclesiæ reducet
politici & ecclesiastici proceres, si con-
silia & operas mutuas conferant. Itaque
bonas leges oportet extare contra ma-
los mores, & contra impietatem, easque
sancte conseruari, & uigere, cuius rei
documenta copiose suppeditat codex
Iustiniani, & Nouellæ constitutiones.

Ea res postulat, ut sapietes & religio-
si uiri, & spectatae sanctimoniae, adhi-
beantur gubernaculis reipublicæ, ut
Moses eligi iubet quatuor uirtutibus
heroicis ornatos uiros, religiosos, ue-
races, fortes & prudētes, quiq; abhor-
reant à studio priuati emolumēti. Ex-
tat etiā lex egregia in Codice Theodo-
siano 2. de Iudeis, Samaritanis, hære-
ticis & paganis. Porro inquietos, qui
aduersus doctrinā sanam tumultuan-
tur & ferociunt, maximè schismatum
capita & hæresiarchas, moderatis pœ-
nis ad sanitatē reducere est par, & Ec-
clesiæ utile atq; necessarium, ut Apo-
stolus

Istolus dicit se Hymenæum & Alexandrum satanæ tradidisse, quo dediscant blasphemare. Et Augustinus coercentes esse docet Donatistas: & lex Moses incurabilem pseudoprophetam & conuictum iubet occidi, quam legē Elias cum populo executi sunt in concilio Carmelitano. Et quia magistratus gerit gladium ad uindictā malorum, & defensionem bonorum, utiq; defendere debet pios, qui student quietā & sanctam uitam in CHRISTO agere, & uiolentos comprimere. ut Apostolus etiā à Romano præsidio aduersus conspiratos in cædē ipsius, defendi curat.

Sumet deniq; magistratus Christianus arma, si res postulet, nō ad uim inferendam, sed repellendam à focis & aris, à legibus, & à sacrosancta religione. Quomodo se Bethulia defendit contra immanē Olophernem: & Macchabæi arma sumunt contra impiū tyrannum Antiochum, & Cōstantinus ma-

d ximus,

ximus, quē ιωάννος & ιωάννης dī-
cunt, aduersus collegas in imperio &
affines suos Maxentium & Licinium,
persecutores Christianorum.

*Docere, uin
dicationis
principia
pars, &
quid sit.* Porro inter uindicationis partes
obtinet primatum, docere Christiani-
tatem, sūmum purum putum: quod officium
sibi esse in primis à patre cœlesti man-
dato, C H R I S T V S ipse confitetur.
Idem quoq; discipulis mandat, ut do-
ceant omnes gentes. Et Paulus dicit,
se missum ad euangelizandum, & non
ad baptizandum. & rursum: Væ mihi,
nisi euangelizauero. Additq; sa-
pientiam expugnandum esse prædica-
tionis stultitia: id est, doctrina de fi-
lio Dei incarnato & crucifixo, in quo
sunt omnes thesauri sapientię uerę cō-
clusi. Docere autem nihil est aliud,
ut Augustinus in explanatione Psalm.
118. definit, quam scientiam dare. Scien-
tia uero, & notitia, & sapientia, est in-
telligentia siue prudentia sermone de-
monstra-

monstratiuo confirmata: ut Clemens
Alexandrinus definit libro 6. de uera
sapientia. Eiusqe organum ponit libro
primo diale^ctiam intelligentiam, que
unumquodqe subiectum ostendit sin-
cerè & absqe confusione, diuidens ea
que mente percipi queunt: Et faculta-
tem diuidendi rerum genera, quæ de-
scendit ad specialissima & propriissi-
ma, exhibens unumquodqe pure inspi-
ciendum quale est. Ideoqe sola hæc de-
ducit ueluti manu ad ueram sapientiæ:
que est facultas diuina, conferens noti-
tiam eorū quæ sunt, ut sunt, habēs per-
fectionem, seiuincta & separata ab om-
ni affectione: non sine seruatore, de-
trahente nobis uerbo diuino tenebri-
cosam ignorantiam animæ, qua parte
uim cernendi habet, quæ ignorantia
ex cōuersatione praua infusa est: quiqe
nobis dedit quod est optimum, ut be-
ne Deum nouerimus, & hominē. Is est
enim, qui reuera ostendit, ut nos ipsos

d 2 nosse

nosse oportet, is omnium parentem reuelat, cui uult, & quatenus eius intelligentiae capax est natura humana. Nemo enim nouit filium nisi pater, neque patrem nisi filius, & cui filius reuelare dignabitur. Hæc doctissimus ecclesiæ doctor Clemens, libro primo Stromateon. Sapientia igitur uera, scientia diuina, rerum diuinorum & humana- rum notitia solida, Christianismus est, uirtus nimirū cœlestis & diuina, quæ sola potest teterim belluam Sophisticen abolere.

Sophisticæ Sophisticen autem non uoco illam duplex. scientiam iocularē uerbigerandi, utque loquuntur, disputandi pro & contra, ludicram sanè & theatricam, & fermè dicerem circulatoriā, quæ metas quasdam præstituit, ad quas tendiculis uerborum & sententiarum falsarum conatur aduersarium adducere. Quumque ad finem aliquem pertigit, gestit insolenter admodū, & exclamat Io pæan,

&

& triumphat tanquam Babylonias cæperit. Sed istam dico æmulam & adulterinam sapientiā, præpotentem magi-
cis præstigijs: utq; Paulus uocat, ope-
rationem satanæ in omni uirtute & si-
gnis & prodigijs mēdacijs, & in omni seductione iniquitatis, his qui pere-
unt: eo quod claritatem ueritatis non
recepérūt, ut salui fierent. Cuius orga-
num est duntaxat uerbosa illa & rixa-
trix Sophistice, & *τελεολογία* philo-
sophastrorum, inanibus uerbis homi-
nes incautos decipiens.

Etenim ut diuina sapientia propter suam mundiciē ubiq; attingit, & dispo-
nit omnia *χρηστῶς*, id est, cōmodè & u-
tiliter: ita etiā Sophistice omnibus re-
bus se ingerit, nec sinit quicquā inten-
tatū. Non parcit agricolis, non opifici-
bus, nō negotiatoribus, nō studiosis li-
terarū, nō sacerdotibus, nō monachis,
non episcopis, non regibus, & alijs ma-
gistratibus ciuilibus: omnesq; nisi an-

tidoto cœlesti præmuniāntur, imbuit
suis malis uenenis, ut sapientes sint ad
malè agendū, bene aut agere nesciant,
ut Heremias dicit. Inuadit autē sacra
& prophana, publica & priuata nego-
tia, omnia corrumpens & labefaciens.
Nec quero se una duntaxat forma cœ-
tibus hominū offert: sed uelut Empu-
sa, aut Vertūnus, aut Proteus, modò
blanda, modò terrifica: modò humili-
ter, modò superbiusculè. Iam Curios
simulat, & Catones tetricos: iam scur-
ras et moriones imitati, ipsamq; Moriā
repræsentat. Alias docet, aliás imperat
& cogit. Nunc pollicet bona, nunc mi-
natur pessima quæc. Mille sunt uul-
tus & formæ huic monstro præstigio-
so: quod simulacris falsis boni aut ma-
li, itemq; ueri & falsi præstringit aciem
animorū, & affectibus turbatas men-
tes ducit, trahit, rapit, impellit, quo-
cunq; libitum est. Ea Sophistice do-
cuit mortales, in omnibus contracti-
bus

bus & toto uitæ cōmercio simplicitatem cauere, ut rem perniciōsissimam: docuit falsos esse, aliudq; promptum habere in ore & uultu, aliud retrusum in pectore: bonum gerere uultū erga quoslibet, bonaq; uerba dare, animū autem habere maleuolum: suum quæ rere commodum, & non aliorum: suram non propiorem ducere quam genu sit, neq; pallium proprius existimare interula: utendum esse foro: palliū obuertendum esse, proinde ut uenti flant: mentem habere polypi, ut homo Cretizet cum Cretensibus, et uulpine tur cum uulpibus, occinitq; uersiculū istum crebro:

Omnibus esse lupos licet in regione laporum.
Ea persuadet uiolare omnia vincula humānæ societatis, contemnere amicitiæ iura, hospitij iura, sanguinis & affinitatū iura. Ea persuadet hominibus rumpere cōuenta & pacta & fœdera, ob priuatum emolumentum: & non

d 4 modò

modò falsum, sed etiā periurum fieri.
Quia uidelicet lingua iurare potest, ut
tamen iniuratus sit animus. Utq; pue-
ri falluntur tesseris, ita grādiores natū-
fallendi sunt iureiurādo. Ea docet fige-
re leges, & refigere, ex priuato com-
modo, non ex æquo & bono publico.
Ea dispēsat ius respectu personarum.
Ea dicitat, ipsam religionem in qua-
stum & cauponationem uertere. Vn-
de multis habentibus magnā speciem
pietatis, cuius tamen uim ignorant,
Ignis, cera, fumus, cōclum est uænale,
Deusq;. Extruitq; molitiones Gigan-
tæas aduersus scientiam Dei: ut olim
Nimrodica factio turrim Babylonicā
molita est, contra Domini Dei consi-
lium. Audet enim terminos sanctissi-
mos, antiquissimos, ἀκινήτος, quos po-
suerūt Ecclesiæ patres Apostoli et Pro-
phetæ, submouere: & condere nouos
articulos fidei, noua dogmata, nouas
leges uiuendi. Necq; ueretur fraude, &
malignis.

malignis interpretationibus & uiolen-
tantis, diuinis & authenticas scriptu-
ras à sancto Spiritu prolatas, circum-
scribere, inuertere, corrumpere. Mini-
mēq; grauissimam sententiā, positam
in 30. cap. Sententiarū Solomonis, cu-
rat: Omnis sermo Dei ignitus clypeus
est, omnibus sperantibus in eo. Ne ad-
das quicquam uerbis illius, & argua-
ris, inueniarisq; mendax. Ea deniq; fœcunda
matrcula est pseudopro-
phetarum & pseudapostolorum, qui
ueniunt in uestitu ouillo, intrinsecus
autē sunt lupi rapaces: qui sectas per-
ditionis introducunt, & negāt redem-
tionem generis humani per unicā ho-
stiam I E S V C H R I S T I filij Dei, &
summi atq; æterni pontificis, oblatam
Deo patri in ara crucis, pro peccato to-
tius mundi: qui gerentes nomen Chri-
sti, C H R I S T U M negant: qui glorian-
tes in nomine I E S V Nazareni, Messie
& regis Iudæorum, illum tamē rident,

d 5 ut

ut Herodes cum suo præclaro famuli-
tio: qui sub specioso pacis nomine, pa-
cem auferunt hominibus: qui C H R I
S T V M ostentando, Antichristum in-
finuant.

*Vt oppu-
gnanda So-
phisticæ.* Hoc igitur portentum, hoc scelus,
hanc maximā pestem generis humani
Sophisticen, ne diutius impunè gra-
setur, protrahendam esse censui in iu-
dicium totius Christianitatis, & ream
agendum esse falsi, fraudis, imposture,
ueneficij, sacrilegij, impietatis, læsæ Di-
uinæ Maiestatis: ut postea quam argu-
mentis ueris, certis, perspicuis om-
nium scelerum conuicta fuerit, à regi-
bus nominis Christiani, à pôtificibus,
à doctoribus & magistris ecclesiarum
& academiarum, & omnium schola-
rum, & à toto populo Christiano lapi-
dibus obruatur ex lege diuina. Quip-
pe quæ suis innumeris maleficij, maxi-
mè quòd regnum C H R I S T I filij Daui-
dis sibi uendicare ausa est, meretur ut
super

super cadauer extinctæ ueneficæ acer-
uus lapidum sempiternus extruatur,
ad perpetuam rei memoriam: haud se-
cū quām Israelitæ perseuerantes in fi-
de sui regis Dauidis, parricidam Absa-
lonem, qui regnum paternum scele-
ratè affectarat, suāq; ambitione scele-
rata bellum ciuile cruentissimum ex-
citauerat, grandi lapidum aceruo tu-
mularunt.

Lapides autem quibus Sophisticē Lapidibus,
petenda, & interficienda, & tandem se- id est sentē
pelienda esse uidetur, eademq; opera tījs scriptū
Christianismus legitimè vindicādus, ræ sanctæ
sumi oportet ex armamentario cœle- occidenda
stis & diuinæ sapientiæ. est Sophisti
ut causæ publicæ totius Christianita-
tis non deessem, quantum mihi Domi-
ni gratia concederit, hoc scripto sen-
tentias tres diuinæ scripture in Sophi-
sticen, prolem satanicam, & scatebram
uniuersi malī, quod orbem hodie (ut
semper fecit) miseris & horrendis mo-
dis

Argumen-
tū libri 1. dis perdit, contorsi. Nam in libro pri-
mo hactenus ostendere studui, quan-
tum malorū dederit Sophistice præsti-
giatrix, & æmula uerē sapiētię: quodq;
sit causa primaria & unica omnium in
Ecclesia CHRISTI malorum, & quo-
secundi modo sit conficienda. In libro au-
tem secundo, apostoli Pauli dictum in
epistola priori ad Timoth. cap. 1. ex-
» pēditur: Finis præcepti est charitas de
» corde puro, & conscientia bona, & si
» de non ficta. A' quibus quidam aber-
» rantes, conuersi sunt in uaniloquium,
» uolentes esse legis doctores, non intel-
» ligentes necq; quæ loquuntur, necq; de
» quibus affirmant. Ostenditur autem
status, & caput, ac suprema quæstio,
in qua consistit controversia maxima
& diuturna Christianorum hodie in-
ter ipsos, de religione, & eorum qui
Rom. pontificem esse caput ecclesiae
Catholicæ asserunt, & eorum qui hoc
Tertij. ipsum pernegant. In tertio libro ex-
penditur

penditur apostoli Pauli dictum in epistola ad Ephesios, cap. 4. Vnum corpus, unus spiritus, una spes uocatio, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, &c. Describitur autem certa methodo, ex euangelica historia beati Marci, Christianus uerus & sempiternus: in quo solo contingit hominibus per C H R I S T U M, mediatorem unicum & servatorē, pax et gratia Dei, remissio peccatorū, iustitia, sanctitas, & uita æterna.

Alio autem in opere, si uitam concedat Dominus, & meam diligentiam & studium erga rem publicam Christianam uidero prijs probari, exhibebo librum quartum: in quo expenditur apostoli Petri dictum, in epistola secunda cap.

2. Fuerunt & pseudoprophetæ in populo, sicut & in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. Vbi hæreticorum dogmatum elenchus theologicus exhibetur,

tur, & refutatio compendiaria. Nam adulterinæ & Sophisticæ opiniones de ipso Deo, de Ecclesia, de fine & officio hominis, per capita Symboli apostolici distributæ, uelut ad Lydium lapidem uerbi diuinæ explorantur, ac redarguiuntur: ut quiuis studiosus ueræ pietatis, nullo negotio eas discernat à ueris & receptis, & probatis in sancta Dei ecclesia dogmatibus: quomodo pecunia studioſi, facile discernunt probam monetam & adulterina numismata.

Quinti. Libro quinto expenditur mandatum nouissimum Domini Dei & Seruatoris nostri IESU CHRISTI, quod in cœlum & thronum Maiestatis suę diuinę ascendens, discipulis suis dedit, ut Matth. cap. ultimo legimus:

» Data est mihi omnis potestas, & quæ sequuntur. Examinantur autem leges diuinæ & humanae, theologorum, imperatorum, & Rom. pontificum, itemq; exmepla insignia vindicāre religionem,

ligionem, & delendi falsas doctrinas atque religiones. Sextus liber expen-
dit elogium beati Petri de IESV CHRI-
STO, editum Hierosolymis in conci-
lio, quod Actorum cap. 4. legimus:
Non est in aliquo alio salus. Nec enim
aliud nomen est sub cœlo datum ho-
minibus, in quo nos oporteat saluos
fieri. Demonstrat autem euidenti ra-
tiocinatione, Christianismum uerum,
esse causam principem & unicā adeō,
quæ tum singulos homines beatos fa-
ciat & conseruet, tum ciuitates & im-
peria. Ut contrà Sophistice, religio-
num falsarum architectrix, uniuersis
& singulis hominibus maximam ad-
fert perniciem.

Velim tamē, priusquam edo libros
tres posteriores, hosce editos legi, &
examinari diligenter, ab ijs maxime,
qui contendunt, omnes CHRISTI ec-
clesias iure diuino & humano subie-
ctas esse debere Papæ & ecclesiæ Ro-
manæ.

Postulatio,
ut Papisti-
ca institu-
tio com-
pendio se
describa-
tur.

manæ. Q̄um enim uiris doctis & eloquentibus abundēt tot scholē, tot cœnobia, tot collegia sacerdotum, æquisimam ab eis rem mihi uideor postulare, ut saltem aliqui ob salutem communem, & C H R I S T I seruatoris gloriam, subeant eum laborem, & ex libris authenticis ecclesiæ Romanæ, ex Decretis, Decretalibus, Clementinis, Sexto, Extrauagantibus, ex libris quatuor Sententiarum magistri Petri Lombardi, aut ex alijs etiā cius generis scriptoribus, uel deniq; ex scrinio pectoris Papalis summatim exponat, & certa methodo, quid' nam præter Christianissimum ex Marcī euangelica historia catholice & compendiose descriptum à me libro tertio, necessarium creditu & obseruatū existiment. Et quidem dogmata per symboli Romani capita distribuant: & præceptiones uiuendi, bonaq; opera, & peccata per Decalogi capita: ut etiā uulgares homines intelligere

telligere tandem possint ea quæ ad sa-
lutem ipsorum pertinent. Et ea metho-
do nobis describant papismum (sic e-
nīm aliqui appellant Christianismum,
aliquot iam seculis interpolatum à Ro-
manis papis, & eorum confortibus) si
modò cognosci eum cupiunt, & con-
seruari, & propagari: qua ueterem il-
lum, à CHRISTO per euangelistas &
apostolos nobis traditum, exposui.

Sin uero nihil addendū censem, ni-
hil esse superuacuum, nihil uanum aut
perniciosum, quod in Euangeliō Pe-
tri apostolorum principis à Marco est
scriptum: pacem uidemus esse repara-
tam inter ecclesiam Romanā & omnes
ecclesias ubiqz terrarum, que Christia-
nismum illum à diuo Petro & Romæ,
& Hierosolymis, & Antiochiæ, & in
Asia prædicatum agnoscunt, & reti-
nent, & colunt. Inde proximum es-
se uideo, & optimum factu, & Eccle-
siæ Christianæ in primis salutare, ut
placide

placidè consultemus de restituenda li-
brorum diuinorum interpretatione,
qualis fuit temporibus Apostolorū,
& ante C H R I S T I Domini aduen-
tum, propheticis temporibus, idq; ex
instituto diuino. Rebus autem in

Ecclesia constitutis, ut oportet, tem-
pestuum erit etiam iam cogitare, ut

Mahumedicis, & Iudæis, & paganis

*Euangelium
prædicant
dū apud in
fideles po-
pulos.*

Euangelium salutis opera Christiano-
rum innotescat. Quod mihi tum alijs

oraculis diuinis, tum illo in reuelatio-
ne Domini capite 10. posito, non ob-
scure aut ambiguè prædictum esse ui-
detur. Loquens enim Dominus de no-
uissima tuba, in qua resurrectio mor-
tuorum, & nouissimum atcq; generale
iudicium erit, Ioanni euangelistæ &
theologo summo dixit: Oportet iterū
te prophetare gentibus, & populis,
& linguis, & regibus multis. Quod
eum sensum habet, fore, ut Euange-
lium regni Dei, quod Ioannes, quod

Mar-

Marcus, quod Matthæus, Lucas, Petrus, Paulus, & alij diuiní patres & doctores Ecclesiæ scripsérunt, iterum sonet non modò in orbe Latini sermonis perito, sed etiam in alijs prouincijs totius orbis: è quibus salutarem uocem Euangeli⁹ pepulit Sophistice, per Mahumedē, & alios maleferiatos homines. Quibus nos oraculis decebat magis attendere, & nos ad ea impleanda accommodare, quàm pleriq⁹ faciamus. ut etiam Viennensis concilij decretum sapientissimè factū, Christiani nominis principib⁹ iniungit, errātes in uiam ueritatis inducere, Christoq⁹ per ipsius gratiam lucrifacere.

Porrò quia infimæ fortis homuncio causam maximam in me recepi, & maiori animo quàm viribus & scientia pugnandi, fretus Domino qui docet manus meas ad prælium, & dertos mcos ad bellum, procurri, ut opugnarem Sophisticen, uerbo exo-

cause, ob
quis aduo
cati et pa
tronique
runtur in
Anglia.

sam apud plerosc̄ homines, sed quæ à multis benignè fouetur: & indicarem, quibus modis legitimè uindicari pos- sit ac debeat Christianismus: uidi mihi quærendam esse aduocationem & patrocinium ualidum. Non enim defuturi sunt mystæ sui reæ Sophisticæ, & patroni: qui coloribus adquisitis eam defendant, meç̄ acerrimè oppu- gnent in consistorio Romæ, quod Ro tam uocant, in consilijs & curijs pri marijs Imperij, in Sorbona theologica, & alibi. Nam quid Laurentio Val lae acciderit ob donationem Constan- tini fictitiam, recenti memoria teneo: & mihi præsagio, quid Satan molitu- rus sit contra me in oppugnatione filiæ suæ primogenitæ. Vbi autem pri us quærerem, non tam mihi quām cau fæ publicæ totius Christianitatis, ad- uocatos & patronos, quām in eo re- gno, quod Regi suo cum ipsa corona imponit augustissimū titulum Defen soris

foris Catholicæ fidei: quod Prouiden-
tia Diuina opportunitate situs & co-
pia omnium rerum instruxit, ut possit
iuuare plurimū alias Christiani orbis
prouincias: quod etiam uelle iuuare
Christianam rempublicā maximè de-
bet, quia facultates eas benè merendi
accepit à Domino: quod multis non
obscuris argumentis sæpe declarauit,
se prodesse uelle: quod in difficilimis
temporibus Ecclesiæ maxima & im-
mortalia beneficia ex diuina benigni-
tate sæpenumero contulit: E' quibus
duo duntaxat cōmemorare uifum est,
quæ ad exempla uindicandi legitimè
Christianismum pertinent.

Constantius enim in crapula illa im-
pietatis (sic enim loquitur Nicepho-
rus, alumnus ecclesiæ Constantinopo-
litanæ, libro septimo historiæ Eccle-
siasticæ, de persecutione Diocletiani)
sobrietatem conseruauit, & CHRISTI
religionem obtainere plurimū stu-

duit, atq; in ingenti illa iniuitatis elu-
tione igniculus permāsit inextinctus.
Quum etenim plurimum esset ubique
piaculorum, & cædes ciuiles per or-
bem uniuersum grassarentur, quæcun-
que sub eius ditione erant urbes, im-
munes ab ea contaminatione & cla-
de erant. Et imperium eius ueluti tu-
tissimus portus erat pietatis Christia-
næ: in quem, quicunq; propter CHRI-
S T V M affligerentur, rectissimè per-
fugiebant, ibiç; conseruabantur. Idem
imperator Constantius Eboraci mo-
riens, hisce uerbis imperium filio Con-
stantino maximo tradidit, elapso è ma-
nibus tyrannorū, qui infidias illi stru-
xerāt ob Christianæ pietatis studium,
quod apertè præ se gerebat à primis
» annis: Nunc mihi mors uita ipsa dul-
» cior est futura: nunc optatus adest o-
» bitus. Teneo siquidem maximum e-
» pitaphium, & sepulchrale monumen-
» tum, meum filium: & quòd in terris

Impe-

Imperatorem relinquo, qui Deo bene iuuante, Christianorum lachrymas abstersurus, & patratam ab impijs tyrannis crudelitatem vindicaturus est. Ideo summæ mihi felicitatis loco esse duco. Et ad principes atq; multitudinem praesentem conuersus, bono animo esse omnes iussit, qui à uera pietate in C H R I S T V M non defecissent: quem C H R I S T V M etiam in armis fore cum Constantino filio dicebat. Neq; fefellit principem Christianissimum præfagus animus. Constantino enim ducenti exercitu ad Romanam liberandam, quā horrendis modis Maxentius Cæsar diuexabat, C H R I S T V S optimus maximus in cœlo monstrauit crucem, id est, signa uictoria, cum huiusmodi oraculo, ἐπ τούτῳ νικᾷ, In hoc uince. Et oraculo respondit euentus. Quia Maxentius submersus in insidijs, quas Christianissimo Imperatori parauerat, incruentam ui-

ctoriam Constantino reliquit. Et uictoriæ cœlitus collatae, optimus Imperator digna gratitudine animi respondit. Quum enim senatus populusq; Romanus laudibus, & statuis, & omnibus honoribus, ut vindicem suæ libertatis, certatim prosequi satagerent: religiosissimus princeps nequaquam uoluit, ope diuina partam salutem suæ uirtuti attribui, sed munere diuino. Legemq; publicauit, in qua Romæ & in alijs Imperij locis C H R I S T U M predicauit universæ uirtutis atque salutis authorē: & edixit, ut ei cultum & uenerationem cuncti deferrēt.

Maxima sunt hęc Dei beneficia, collata Christiano populo per Constantinum Cæsarem. Sed ijs maiora duco, quod Arianam uæsaniam & impietatem in concilio Nicæno legitimè compescuit, & episcopos à contentionibus indignis & perniciosis ad concordiam & unionem Christianam resuocauit:

uocauit: estq; patres CCCXVIII Nicæ congregatos grauissima oratione exhortatus, ut ex diuinis libris Euangelij, & Apostolorum, & ueterū Prophetarum, ex doctrina Spiritus sancti, religionis sacrosanctæ dogmata explicarent, & definirent. Ex qua synodo Ecclesia symbolum fidei accepit, perq; manus etiam nobis tradidit. De quo symbolo Chalcedonense cōcilium gravissimè pronunciauit: Sufficere ad plenissimam pietatis agnitionem & confirmationem, cautissimum & salutare diuinæ gratiæ symbolum.

Est & aliud beneficium orbi Christiano datum ex Anglia, illis Constantianis par. Quum enim Bonifacius octauus Papa, circiter millesimo anno à pace illa Ecclesiæ, quam Constantinus reparauerat, libertatem Christianam penitus oppressisset, regibus etiam & imperatoribus formidabilis, qui Romæ sedens in templo, in maxi-

ma Christianorum frequentia , pri-
mo iubileō anno, palām duos gladios,
duoq; penes se esse cornua ostentauit,
& sanxit, omni creaturæ necessariū es-
se ad salutem, subesse Romano pontifi-
ci: Armachanus, immortali gloria di-
gnus uir, in Academia Oxoniēsi Chri-
stianæ fidei & doctrinæ, & Ecclesiæ
palām se unidicem & assertorem exhi-
buit. Is accendit ignem illum non pe-
titum ex purgatorio S. Patricij, sed ex
tabernaculo Domini, quem C H R I-
S T V S mittit in terram , & uult ut ar-
deat. Ab eo tempore nunquam defue-
runt pñ & fortes uiri, qui lampada cœ
lestē ueluti per manus tradentes, hanc
nobis Euangeliū optatissimam lucem,
& C H R I S T I notitiam pepererunt.
Ut in spem bonam sim erectus, Euau-
gelium Dei, & regnum C H R I S T I
longē lateq; promouendum esse bre-
ui tempore.

Hodie uero non video regnum in
orbe

orbe Christiano, quod habeat tot principes ciuiles, tot ecclesiæ præsides, qui de rebus Christianis rectissimè iudicare possint, & egregio sint animo erga religionem ueram, quot habet, Dei singulari dono, Angliæ regnum. Te autem, clarissime Domine Ioannes Chece, appellare sum ausus, impudentius fortasse (quorundam iudicio) & audacius, non tamen sine causis honestis & pijs, utispero me tuæ Celsitudini probaturum esse. Accepi enim ex sermonibus & scriptis multorum, te eximè affectum esse erga pietatē Christianam, & bonas literas. Ealq; ingenij acrimonia & iudicij præditum esse, & doctrina multifaria, ut rectissimè iudicare possis de literatis negotijs: ac uirtutum eximiarum & sapientiæ merito pollere summa & authoritate & gratia, tum apud Regiam Maiestatem, tum apud regni proceres. Tenamq;
pignus longè præstantissimum, regis
Henri.

Henrichi augustæ memoriae unicum filium, maximi regni hæredem, fidei tuę à principibus commissum, ita præceptis optimis & exemplo uitæ integræ sapientiam ueram & omnes uirtutes heroicas per diuinam operem formasse: ut EDWARDVS VI. An glorum serenissimus Rex, non modò admiretur & amet literas uerè humanas & bonas, id est, honestas, pias, sanctas, magnocęz fauore adiuuet atque prouehat, sed etiam præclarè calleat: utcęz, licet adolescens, plurima sæpe dicat ac faciat, que & indolem optimam, & rectissimam institutionem copiose testentur. Ut multi uiri cordati iudicent, ex principibus Christianis EDWARDVM Regem ad Solomonicam, hoc est, è throno cœlesti uenientem sapientiam & uirtutem, maximè adspicere: omnes autem expectent optimū principem, qui regum superiorum uirtutes relaturus sit absq; næuis, qui humani-

manitus (ut fit) aliquando in summis
uiris oboriuntur, & responsum titu-
lo sanctissimo Defensoris catholicæ fi-
dei. Rursus accepi etiam, tuam Cel-
litudinem scripta nostra humilia non
aspernari, neq; improbare admodum.
Vnde spem non exiguum concepi, pri-
mùm libellos nostros facilem aditum
inuenturos esse ad tuam præstantiam:
deinde causam ipsam, quæ mea non
est solius, sed omnium piorum, sed Ec-
clesiæ, sed C H R I S T I etiam, aduocatos
& patronos in Anglia reperturam es-
se. Itaq; supplex oro tuam pietatem
& eruditionem, ornatissime Chece,
ut non dedigneris hos libellos, studio
iuandi Christianam rem publicā scri-
ptos, si quando uacarit per occupatio-
nes publicas, legere, & iudicare: & si
quid lolij aspersi ex ingenio meo, se-
minibus mutuo acceptis è propheta-
rum & apostolorum horreo, ea mo-
deratione euellere, ut bona seges ad
maturi-

maturitatem producta, fructum operatum scientiae diuinæ, pacis & concordiæ, & uitæ Christianæ pariat, apud illos etiam Christianos, qui circumuenti à Sophistis, sanos Euangelij sermones horrent, aut persequuntur etiam. Causam uero ipsam, si iusta, si pia, si ad gloriam Dei & incolumente Ecclesiæ spectare uidebitur, oro, et obsecro, & obtestor, ut eam quoque studiose commedes Regi serenissimo, & uiris principibus: maximè illustrissimis principibus, Duci Northumbriæ, & Duci Suffolchiæ, & ipsius fratri Domino Ioanni Graio, nec non Domino Gerardo Buckero, serenissimæ Reginæ Dominae ELISABETHÆ à consilijs: quorum uirtus, ut à multis accepi, spectatissima est in pacis & belli negotijs. Commendes etiam nominatim eam reuerendissimo archiepiscopo Cantuariensi D. Thomæ Cranmero, & alijs prijs Deocyp charis

ris episcopis: quicq; literas sanctas do-
cent; in primis D. Petro Martyri, &
D. Iacobo Haddono, & M. Bartholo-
mæo Trehernio.

Evidem ipse dum repeto memo-
ria Ecclesiæ afflictiones, & quibus mo-
dis atq; rationibus Deus sæpe reddi-
derit meliorem statum, sic afficiar, ut
mihi dubium non sit, quin si monar-
chæ & populi, quibus Euangeliæ cla-
ritas illuxit, & libertas Christiana con-
tigit, utiq; dona incomparabilia diui-
næ benignitatis, toto pectore incum-
bant ad legitimam Christianismi uin-
dicationem, aliosq; monarchas & po-
pulos suadendo, monendo, hortan-
do, & alijs officijs atq; beneficijs Chri-
stianis inuitent, ad felicissimum hoc
Euangeliæ salutaris consortium: idq;
exemplo principis C H R I S T I, qui to-
tus in hoc fuit, ut seruaret homines:
 exemplo Pauli, qui ob id factus est o-
mnia omnibus; exemplo Christianis.
princi-

principum Constantini & Theodo-
sij, fore breui, ut omnes Christiani re-
ctius iudicent de controuersa religio-
ne, & liberentur multi à præstigijſ So-
phisticis, & ueterem, sincerum, atque
sempiternum Christianismum ample-
ctantur. Quod faxit quam pri-
mū gratia & uirtus al-
tiſimi: Amen,
amen.

Liber

LIBER SECUNDUS DE LE-
gitima vindicatione Christianismi: in quo expen-
ditur dictum apostoli Pauli, in epistola priori ad
Timotheum cap. 1. Finis præcepti est charitas
de corde puro, &c. Ostenditur autem statuſ con-
trouersiae inter Christianos hodie,
super religione.

AD NOMINIS CHRISTIANI
Reges, Pontifices, Doctores sancta-
rum Christi ecclesiarum, & Academia-
rum, nec nō ad omnes ordines
populi Christiani.

Iquis fortè, Principes & po-
puli Christiani, serio uobis
in comitio aut concilio gene-
rali & frequentissimo con-
sultantibus de instauranda & conser-
uanda republica, ultrò se ingerat, ac pol-
liceatur, si ei paulisper accommodetis
uestras aures & animi sensum, nō ob-
scure demonstraturum esse uobis ra-
tiones, & uias, & modos, quibus o-
ptimè queant respuplicæ Christianæ
f omnes

De Chri-
 stiana rep.
 seriò deli-
 berantium
 studiū non
 improban-
 dum.

omnes instaurari simul & conseruari
 in posterum : credo , uiri Christiani ,
 quòd eum hominem non statim repel-
 leretis . Et quanquam fortasse Christia-
 nus esset Armenicæ aut al ius sectæ ; uel
 Iudæus , uel Turca , uel Tartarus , mo-
 dò non præferret manifestam uecor-
 diam , aut maliciam : tamen iudicaretis
 superbum esse & inhumanum , uestrá-
 que sapientia & uirtute indignum , ei
 non paulisper accōmodare benignas
 aures & oculos , animiqꝫ uestri atten-
 tionem , qui polliceretur se id adferre
 in medium , de quo maximè consulta-
 tis : quod ut fiat , neqꝫ Deus , neqꝫ natu-
 ra negauit (alioqui enim , quid iuuaret ,
 ea de re cōsultare .) quod sit uobis uti-
 le & honestum , deniqꝫ etiam necessa-
 rium : quodqꝫ intelligere homines sa-
 no iudicio prædicti omnino possunt .
 Deinde , si maximè consultor ille , qui
 se ultrò in concilium uestrum inge-
 sit , erret , aut conetur opera dedita in
 fraudem

fraudem uos inducere, iudicaretis tam
men nullum periculum fore, si audia-
tis eum: uel potius utilitatem fore ali-
quam, ut per occasionē istam quædam
exactius considerentur.

Fingite autem, optimi Principes, &
quicunque nomina dedistis supremo
Regi atq; Pontifici IESV CHRISTO,
Deo ac Domino cœli & terræ, impe-
trata copia explicandi rationes illas &
uias, & modos instaurādi labefactam
rempublicam, uel potius recuperandi
paulo minus amissam & perditam, &
quibus diutissimè postea conseruari
queat, hunc promissorem & consul-
torem, qui se ultrò in cœtum uestrum
& concilium sacratissimum ingessit,
habere sermonem haud absimilem ei,
quo Achior dux Amonitarū usus est
ad Olophernē, cōsultantem cum suis
magnatib. [de extirpanda natione Israe-
litarum. Si dignemini, Christiani prin-
cipes, & populi subditi, audire me;

dicam ueritatem in conspectu uestro,
de instaurandis politijs Christianis, &
non egredietur uerbum falsum ex ore

*Reip. Christiane in-
staurande
ratio.*

meo. Populus Christianus, populus
Dei est uiui, & ueri, & unici illius, qui
cōdidit uniuersa, qui cum Abrahamo

& ipsius posteris fœdus sempiternū pe-
pigit, qui Israelitas liberauit e tyranide
Pharaonis, qui reduxit eos dē ex Baby-
lonica seruitute, magnaç & portento-
sa opera edidit s̄epe, ut seruaret popu-
lum illū sibi addictū peculiariter. Idem
quoq; Deus, si quando populus Israel
transgressus leges diuinās, simulachra
coluit, aut alia scelera patrauit, nō diu-
tius impunē abire siuit imperij sui con-
temptū. Est enim Deus sanctissimus,

*Deus re-
lotes.*

qui odit iniquitatē. Quotiescunq; igi-
tur Israelitæ preter Deum suum, colue-
runt aliū Deū, dati sunt in prædā, & in
gladiū, & in opprobriū. Quotiescūq;
uerò eos pœnituit, recessisse à cultura
Dei sui, Deus clemens & immensæ bo-
nitudinis

nitatis rediit cum eis in gratiam, & de-
dit uirtutem resistendi, quantumlibet
potentibus hostibus. Necq; uero ille
tantum Iudæorum est Deus, sed etiam
omnium gentium atq; populorum.
Qui uirū dedit IESVM Nazarenū,
pollentem sermone atq; operibus di-
uinis: & per hunc dedit legem prorsus
Mosis & prophetarum doctrinæ con-
uenientem, iussitq; illam propagari to-
to in orbe. Eius autem discipuli pauci
numero, sed concordes & unanimes,
cœlesti afflatu incitati, legem à IESV
CHRISTO, cuius uos nomen geritis,
& profitemini, acceptā, intra quinqua-
ginta circiter annos in Iudæa, Syria,
Asia, Romæ, & in Italia, Aegypto, Li-
bya, Græcia, & in alijs prouincijs Ro-
mani imperij, licet Iudæorū principi-
bus & imperatoribus Rom. ualidè re-
pugnatibus, lōgè lateq; pro pagarunt.
Quoniam ergo ijsdem artibus & uir-
tutibus imperia conseruantur ac repa-

*Euāgelica
lex omni-
bus genti-
bus pro-
mulgata.*

rantur, quibus sunt condita: respicere uos Christianos oportet ad initia regni & imperij Christiani: & legib. uestris principis, itemq; actionibus ipsius & domesticorum discipulorum eius iam res præsentes conserre in templis, in scholis, in curia & senatu, in foro, in collegijs & curijs opificum, in castris, in commercio uitæ & cōtractibus. Et

Vite totius studia ad Christi regulam accommodan da. siquid dissidet à prima illa & integerima institutione, id ipsum conuenit reducere ad principia. Hisce rationibus, quæ simplices & planæ sunt, & omnibus uobis admodū probabiles, & bona præsentia retinebitis: & quæ sunt amissa, proculdubio recuperabitis. Fuit respublica Christiana tēporibus Diocletiani & Maximini turbatissima. Veturum Cōstantinus ille Maximus ad opem CHRISTI conuersus, secq; totum eius gubernationi bona fide tradens, citò rempublicam restituit, & auxit. Idē fecit Theodosius Christianissimus Imper-

Constantinus Imp.

*Theodo-
sius.*

Imperator: idem Iustinianus, qui Ro-
manū quoq; ius & leges ad C H R I S T I
principis uestri summi optimi maximi
doctrinā correxit, & emēdauit. Cuius
diuinā præfationē in cōstitutione VI.
Nouella de ordinatione clericorū & ec-
clesiarū expensis, opere preciū est, si uo-
bis loco epilogi recitē. Maxima quidē
inter homines dona Dei sunt, à super-
na collata clemētia, sacerdotiū & impe-
rium. Quorū illud quidē diuinis mini-
strās, hoc aut̄ humanis præsidēs ac dili-
gentiā adhibēs rebus, ex uno eodemq;
principio utraq; procedentia humanā
exornant uitā. Ideoq; nihil sic erit stu-
diosum imperatoribus, sicut sacerdotū
honestas: cum utiq; & pro illis ipsi sem-
per Deo supplicēt. Nam si id quidē in-
culpabile sit undiq;, & erga Deū fidu-
cia plenū, imperiū aut̄ rectē & cōpeten-
ter exornet traditā sibi remp. erit bella,
quædam consonantia, omne quicquid
utile est, humano conferens generi.

f 4 Inde

Inde adeò maximam habemus sollicitudinē circa uera Dei dogmata, & circa sacerdotum honestatem: quam illis obtinentibus, credimus, quia per eam maxima nobis dona dabuntur à Deo; & ea quæ sunt, firma habebimus; & quæ nondum hactenus uenerunt, acquirēmus. Bene autem uniuersa geruntur, & cōpetenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum obseruatio custodiatur, quam iusti, laudandi, & adorandi inspectores & ministri Dei tradiderūt Apostoli: & sancti patres custodierunt, & explanarunt. Hæc Principes, omnesq; socij nominis Christiani, si ad uos consultantes de repub. referat homo ignotus uobis hactenus, & is quidem uel Christianus è secta quapiam, uel Iudæus, uel Mahumedicus, non imperitus omnino rerum Christianarum: nemō uestrūm, ut equidem opinor, diceret,

ret, hunc uanum promissorem fuisse,
aut absq; magna & honesta causa spon-
te sua in sacro sanctum cœtum uestrum
prodijisse: sed pleriq; uoluntatem atq;
studium illius fauore ac laude profe-
quendum esse existinarent.

Nun chomo quidē peccator, quod
Petrus & Paulus, & multi alij cultores
C H R I S T I uoce libera de se confessi
sunt, tamē professione & fide Christia-
nus, à Christianis ortus parentibus, sa-
cramento baptismi C H R I S T O ritè ini-
tiatus, authoratus, insitus, à tenera etia-
te in Ecclesia & schola C H R I S T I edu-
catus, & in gradū professoris lingua-
rum sanctorum canonice positus, nul-
liq; sectare addictus, sed catholicā & or-
thodoxam fidem bona conscientia re-
tinens, quiq; meā fidem & diligentiam
& studium iuuandi Christianam rem-
publicam libellis aliquot hactenus e-
ditis apud æquos iudices, uti confido,
satis declarauī: nunc, Principes, popu-
liq;

liqz Christiani, cum debita reuerentia
uobis offero, & peto supplex, ut non
dedignemini legere & expedere hos li-
bellos de uindicatione legitima Chri-
stianæ institutionis: quo nihil maius
geri potest, nihil honestius, nihil uti-
lius, si ritè fiat: scriptos ea moderatio-
ne, ut à rudioribus, non tamen Latinæ
linguæ prorsus ignaris, facile intelligi
possint: & ab elegantia studiosis, atqz
doctrinam liberalē requirētibus, non
fastidiri queant ob nauseam ruditatis.
Res autem & sententias è promptua-
rio cœlesti, ex libris Apostolorum &
prophetarū mutuò accepi, & ex theo-
logis nostris præcipuis, itemqz sapien-
tissimis ethnicorum. Ut ex opere hoc
toto nihil mihi arrogem, quām labo-
rem scribendi, & dispositionem, & stu-
dium iuuādi ecclesias & politias Chri-
stianas. Cuius mihi testes esse uolo,
quicunqz legere hos tractatulos & ser-
mones dignabuntur.

Quis

QVIS SIT STATVS CONTROVER-

sue inter Christianos hodie.

Estq; ducendū exordiū ab eo prin-
cipio, à quo Iustinianus imperator
catholicus proficisci & pendere asserit
tum Imperiū, id est, ciuilē magistratū, *imperij et*
qui legibus, iudicjs, iustitia, aequo & *sacerdotij*
bono, itemq; gladio & armis tueſt sibi *unio.*
cōmissum à Deo populū: tum sacerdo-
tiū, id est, Ecclesiæ ministeriū, quod re-
ligionē sacrosanctā docet, rēq; diuinā,
& sacramēta, & uitę sanctimoniā, & a-
nimarū curā gerit. Ea qui separant, aut
tollere penitus conant, ne illi certā per-
niciē hominib. moliunt. Iunxit enim
cas gubernationes, politiā, & ecclesia-
sticā hierarchiā, Deus legib. & actioni-
bus quibusdā cōmunibus, ut liber Nu-
merorū indicat: iunxit in duob. fratri-
bus Mose et Aarone, et postea in Iosue
discipulo & ministro Mosis, & in Ele-
azarō filio Aharonis. Eximiē uerò in
CHRISTO rege regū, & supremo pon-
tifice omniū ecclesiarū. Accepta enim
perso-

persona seruuli, ut ministraret homi-
 » nibus, edixit: Regnum meum non est
 » de hoc mundo. Susceptus uero in glo-
 riā patris omnipotentis, adorari uult,
 sibi que morigeros esse omnes Princi-
 pes & populos. Quæ unio si dissolu-
 tur, soluta est concordia populi, & fun-
 damenta reipublicæ labefactata sunt.

Confudit & permiscuit eas personas

Hieroboā. Hieroboā, schismatis exitiosi author.

Vzias.

**Aristobu-
lus.** Idē fecit Vzias rex Iudaicus, & plagā
lepræ sensit. Fecit Aristobulus ponti-

Mahumed. fex, & celerem occasum gentis accer-
sens. Fecit Mahumed, & mundum bel-
lis inflāmauit.

Prædixitq; Dominus, in tempore nouissimo aduenturū sui
emulum, quo nihil in mūdo fuerit un-
quam exitiosius. Idē prædixit Paulus,
& Zacharias, & Daniel, & Esras, &
Sibylle, alijq; uates. Eumq; nominant
tetris & infaustissimi ominis uocabu-

**Antichri-
stus.** lis, iam Belial uocantes, iam nequā, fi-
lium perditionis, hominē peccati, re-
gem

gem perniciosum, pseudoprophetam,
pastorem stultum & idolum, aduersa-
rium & hostem Dei, pseudochristum
& Antichristū, qui se in populo etiam
Christianō, in Ecclesia, in templo Dei
ostentet, tanq̄ sit Deus. Is' ne iam ue-
nerit, an nondum, ego non pronuncio
in præsentia. Sed cōstat, multos fuisse
aliquot iam annis, qui non occulte, sed
palām, non sermonibus tantum, sed e-
tiam librīs in lucem editis, Papam Ro-
manum esse Antichristū asseuerarunt,
multiq; ex populis id ipsum credide-
runt: nec desunt hodie, qui hoc ipsum
afferant. Contrà pontifex Romanus,
& qui ei sunt iurati, & arctissimo fœ-
dere cōglutinati, nō modò id negant,
sed etiam hæreticos sceleratissimos uo-
cant eos, & præcones atq; præcurso-
res Antichristi, & Antichristianos, &
mali dæmonis organa, quotquot illa
tradunt, aut recipiunt. Hæ sunt igitur
partes, Christiani Principes, & popu-
li, quæ

*De religione Christiana hodie
one Christiana ho-
die certan-
tium par-
tes.*

li, quæ de religione Christiana hodie acerrimè pugnant: nempe Romanus pontifex, & quotquot Romæ, in Italia, & in alijs prouincijs contendunt, neminem esse Christianū orthodoxum & catholicum, sed apostatam esse, & hæreticum, erroneū, schismaticum, rebellum, seditiosum, & quid mali non? qui Romano pontifici, ut legitimo CHRISTI & Dei uicario, non per omnia obedit: nec Romanæ ecclesiæ, ut soli Apostolicæ & sanctæ, & catholicæ, per omnia obtemperat. Altera pars eorum est Christianorū, qui Romanum pontificem aspernantur, uel etiam criminantur & damnant, ut iniamicū & aduersum CHRISTO. Quam utraque pars membra sua etiam habet. Nam inter Papæ affectas multa reperitur discrepantia dogmatum. Ut uerbi gratia, ordo sanctissimus Dominicorum, & ordo Seraphicus Minorum fratrum, diu sunt altercati, maxima de-

*Dogmatū
discrepan-
tia, etiā in-
ter Papæ
affectas.*

made re, quæ peccatum attingit, & gra-
tiam Dei, utrū Maria uirgo mater Do-
mini sit concepta in peccato originali,
an non: Sunt Albertistæ & Scotistæ,
& Occanistæ, & Thomistæ. Sunt rea-
les, & nominales, atq; moderni. Ex al-
tera parte, repudiante Romanum ca-
put, præter ueteres sectas, ut uocant,
Græcorum, Abasianorum, Syrorum,
Armeniorum, Georgianorū, Nesto-
rianorum, Iacobitarū, Maronitarum,
nouitiæ sunt Lutheranorū, Sacra-
mariorum, Anabaptistarum: quorum
sunt propagines, Liberiani, Davidici,
Silentiarij, Sabbatharij, & aliij.

Ethæ quidem partes controuersan-
tes, Christianorum Papæ adhären-
tiū, ut successori Petri, & Apostoli-
co, & catholico, & uicario CHRISTI
atque Dei: & Christianorum abhor-
rentium à Papæ consortio & commu-
nione: usque adeò distant, ut solis o-
riens & occidens magis non distent,
imò

Papā auer-
santium
sectæ.

Papæ ad-
harentiū,
et ab eo-
dem abhor-
rentiū, dif-
fidium.

imò cœlum & terra. Quanquam boni
quidam uiri & moderati, & tranquilli-
tatis oppidò q̄z studiosi, conantur has
partes multum inter se dissidentes con-
ciliare, & in unum quiddā cogere. Alij
spem omnem concordiæ abiecerunt.
Alij amore pacis & tranquillitatis, uo-
lunt hæc dissimulari, neq̄z moueri Ca-
merinam: quando publicani & ethi-
ci possunt inter se ob commoda quisq;
sua pacem & amicitiā seruare. Alij pu-
tant quemq; in sua religione salutē con-
sequi, modò illi propositū sit, Deo ser-
uire, siue Iudæus sit, siue Turca, siue Pa-
ganus, siue Christianus sectarius. Ve-
rum q̄z recte illi omnes sentiant, paulo
post res ipsa patefaciet.

Porro in hac diuturna & graui con-
tentione uehemēter soleo admirari, ab
eruditis hominibus nō esse diligētius
indicata capita illa controversiæ, a qui-
bus totum negotiū pendet, in quibus
cōsistit, ad que omnia sunt instrumen-
ta &

ta & cause firmamēta utrīc̄p̄ referēda:
quæ nīl cognita sīt, līs decernī haud-
quaç̄ potēt: tam longē abeſt, ut finiri
possit. quod cīuīlūm causarū boni a-
ctores ante omnia prouident. Equi-
dem pro mediocritate mea, conabor
hac in parte aliquid opis conferre. Et
prima quidem congressio partium liti-
gantium de religionis ueræ possessio-
ne, consistit in cause ipsius informatio-
ne, & ueluti modificatione, quam iuris
cīuīlis periti & rhetores uocant causæ
translationem, & exceptiones. Quæ
ritur enim, an causa hæc maxima, quæ
Dei cultum attingit, & hominum salu-
tem, ab ullo queat hominē exactè co-
gnoscī: an à pauculis quibusdam inge-
nio preclaro, & doctrina, & rerum usū
pollentibus, aut singulari afflatu numi-
nis cœlestis, quibus donatū est cognos-
cere arcana Dei. Deinde qui nam ius
habeant agendi causam non tam pri-
uātam, q̄ publicam, & ius decernendi

Trāslatiō,
et exce-
ptiones in
controver-
sia religiō-
nis.

g aliquid

aliquid in negotio gloriæ diuinæ & sa-
luti hominis, quod etiam alij sequan-
tur: sacerdotes ne soli, & doctores theo-
logiæ, an etiam laici. Et si per homines
delectos agi oportet, an à sola parte
Romani papæ dandi sint iudices, an
etiam ab altera, an ab utrisq;. Adhæc, an
singuli, uel pauculi etiā, an potius quā-
plurimi simul collecti, uel in locali, uel
prouinciali, uel uniuersali cōcilio age-
re debeant causam publicā salutis hu-
manæ. Sunt qui armis rem decerni ue-
lint, sunt qui sermone & rationib. agi
uelint, sunt qui utruncq; admittant suo
tempore ac modo. Quæritur etiam,
quo iure, quibus ue legibus disceptan-
dum sit in causa religionis: legibus ne
diuinis tantum, uel scriptis in utroque
Testamento, uel non scriptis, sed per
manus traditis, an legibus humanis in
qualibet ciuitate & imperio, an utrisq;.
Minimè etiam cōuenit de loco & tem-
pore, ubi controuersia communis o-
mnium

mnium Christianorum agi debeat, & quo tempore, & cui potestas sit tempus atq; locum præfiniendi. Hæc iactari non modò inter proceres Christianos, sed etiā in uulgo, manifestum est. Quæ omnia pertinent ad legitimam Christianismi uindicationem, quam hoc Opere studeo explicare, si Dominus annuerit. Ac in quinto libro quidem explicari commodius uidentur leges diuinæ & humanæ de uindicta religionis iusta, exemplis ubiq; idoneis appositis: ut in actione præcipui momenti simus animosi, & cauti atq; circumspecti. In tanta enim opinionum discrepantia, necessarium est legibus diuinis, & probatissimis exēplis dirigi, ut regia uia ingrediamur, & non deflectamus uel ad dextrā, uel ad sinistram. Interim ratiocinando, & inspiciendo strictem res gestas ab origine mundi, consideremus morem atq; cōsuetudinem Ecclesiar, in religione uindicanda.

Exempla
sindicatio-
nis, & ca-
sus, ut no-
cant.

Sempiter-
nus Chri-
stianismus.

Qui putant cōmunionem sancto-
rum, & cōtum illum sanctissimum an-
gelorum bonorum, simul & homi-
num, cui paratum est regnum cœleste,
quemq; uocamus Ecclesiam sanctam
catholicam, primū incepisse in ba-
ptismo & prædicatione Ioannis, &
CHRISTI aduentu in carnem, longè
falluntur. Quod theologi ueteres &
boni demonstrant euidenter, est cōte-
statissimum in sacris librīs. Etenim
Deus pater caput CHRISTI æternus
est: æternum est uerbum Dei, & filius
Dei est cōsubstantialis patri, per quem
omnia facta sunt. Is est princeps Chri-
stianæ institutionis, & caput & funda-
mentū: in quo sumus electi ante mun-
di constitutionē, ut docet Apostolus.
Quamobrem statim ut conditi sunt an-
geli & homines, cœpit Deus filius iam
in tempore adsumere suos cōsortes, &
participes & cohæredes, adeo que sua
membra & corpus, id est, Ecclesiā fan-
tam

Etiam Catholicā: quod regnum etiam
in fine seculorum, deuictis omnibus i-
nemicis, tradet Deo patri: ut sit Deus
omnia in omnib. sanctis, fidelibus, &
electis. Itaq; Adam & Eua protoplasti
homines fuerunt mēbra Ecclesiæ, sub
capite filio Dei, & reuera Christiani: i-
temq; Abel, Seth, Enoch, Noe, & dein
ceps reliqui posteri, quotquot non de-
fecerūt ab hoc capite, ut fecerūt angeli
refuge. Rursum Cain, נָפְלִים nephilim
id est, apostate & defectores, aut ut uer-
bum magis exprimamus, decidui & ca-
duci, quos Gigantes interpretati sunt,
ante diluuium: & postea, Cham, Nim-
rod, & alijs dilapsi uarias in sectas &
haereses, quia caput nō tenuerūt C H R I
S T V M, ad Ecclesiam ueram non perti-
nent. Dedit autem parens Deus legem
Adamo & Euæ, ne degustarent de fru-
ctu arboris scientiæ boni & malii, pro-
posita pœna mortis. In eo mandato
principali, & matrice omnium legum,

g 3 ut Ter-

ut Tertullianus uocat, summatim con-
tinentur capita omnia, quæ & in Deca-
logo exprimuntur, & copiosius sunt ex-
plicata per Mosen ac prophetas, rur-
sumq[ue] in breuissimā epitomenā à CHRI
„ STO incarnato redacta: Quod tibi uis
„ fieri, facito & alijs: quæ lex etiā in corda
& naturam hominū inscripta est ab o-
pifice Deo. Fuit igit[ur] in Ecclesia statim
ab initio mundi doctrina fidei, & regu-
la benē recteç agēdi, ac ueritas sempī-
terna, in qua se Deus patefacit ratio-
nali creaturæ, seq[ue]rū impertit. Fuerunt e-
tiam in paradiſo, & horto illo amoenissimo,
ac delicijs omnibus referto, cor-
poreæ quædam res peculiariter uerbo
Dei adhibito insignitæ, quæ per sensus
exteriores ingererent menti, & repreſen-
tarent subinde res illas uerbo Dei com-
prehensas, quæc[que] signaculorū uim ha-
berent, homines ad obedientiam & fi-
dem præstandam obligantes, & illis
vicissim bona diuinitus promissa con-
firman-

firmantes, utq; loquuntur uulgò, ratificantes. Ut arbor uitæ proposita in medio paradiso, altiori significatione CHRISTVM Dei uerbū & sapientiam figurabat, in quo solo uita existit, sicut in patre Deo, & per ipsum solū ex patre Deo confert essentijs creatis. In coniugio etiā Adami & Euę magnū sacramentum fuit CHRISTI & Ecclesiæ, ut Paulus indicat. Fuit igit in primordio statim mundi Christiana institutio plena & perfecta, cognituq; & obseruatu necessaria, & sufficiens ad beatā uitam. Eam igit Christianā religionē hostis Dei & generis humani diabolus, corruptere & abolere conatus est, sollicitans in serpētis inuolucro & persona, ut deficerent homines à tradita institutione, & ea uia desciscerent à Deo parēte & Domino optimo, ac se se cū tota posteritate māciparēt tyranno mali uniuersi authori. Suadente igit cacodēmone, ut primi homines ederent pomū uetitū,

initium so
phisticæ &
herescon &
diabolo.

Adam &
 Euæ uindi-
 care debe-
 bant reli-
 gionem, ac
 uelut con-
 cilium agi-
 tare cōtra
 diabolum. & promittente similitudinē Dei, atq;
 scientiam boni & mali, quum institu-
 tio iam diuinitus tradita in controuer-
 siam & dubiū esset uocata, cuius nam
 fuit tunc temporis iudicare de religio-
 ne? An non Adami & Euæ, in quibus
 eo tempore Ecclesia & totū genus hu-
 manum extitit, quorum & salus ageba-
 tur? Aut potuerunt ne iudicare primi
 parentes nostri de maxima controuer-
 sia? Vt ict̄ homines illi protoplasti po-
 tuerunt & debuerunt iudicare in Para-
 diso, ad illam ipsam arborem scientiæ
 boni & malī, cui se cacodæmon in ser-
 pentis induvio applicauerat: & statim
 iudicare debuerunt, firmo gradu reti-
 pentes institutionem à Deo conditorem
 sibi traditam, & diabolum cum sua no-
 ua persuasione impietatis & sacrilegij
 & apostasiæ damnare. Idq; decretum
 ratum esse oportebat apud omnes po-
 steror. Sedenim quia diaboli sophisti-
 cam persuasionem prætulerunt uerbo
Dei

Dei simplicissimo iuxta & uerissimo,
recte quoqz Tertullianus delictum hoc
primorum parentum uocat hæresim.

Eadem est ratio, dum Cain & Abel fra-
tres cõtendunt de religione, satana in-
stigante Cainum, ut rationibus sanis
destitutus, parricidio Abelem cum sua
religione extingueret: suam uerò, quæ
displicebat Deo, assereret atqz stabili-
ret, sibi qz primatū uindicaret. Eadem *Gigantum*
est ratio in longa deinceps cõtentione *er piorum*
filiorum Dei, hominū fidelium & san-*pugna.*
ctorum, Seth, Enoch, Mathusalē, La-
mech, Noe, & Cainorū apostatarum
usqz ad diluuium.

Postea cum Nimrod, Babylonicae
monarchie conditor, simulqz noue re-
ligionis author & hæresiarcha, ut que
Dominus eum uocat in Apocalypsi,
mons magius & ardens missus in ma-
re huius mundi, suaderet, hortaretur,
imperaret, cogeret homines ignē pro
Deo uenerari: potuerunt ne homines,

*N imrodi-
ca secta,
cui restituit
Abraham.*

aut debuerūt iudicare de cōtrouersia,
sc̄q; falsae religioni opponere, uel cum
uitæ & omnium rerum periculo: Fe-
cīt hoc Abraham, pater omniū creden-
tium, ut Philo prodidit: & fecit recti-
simē. Et quanq; à tyrāno impio propte-
rea cōiectus fuit in ignē, ope tamen di-
uina seruatus est rebus maioribus.

Aharonica
apostasia
et idolo-
latria.

Seditio im-
pia Core,
et coniu-
ratorum.

Deinde lege diuina copiosius expla-
nata per Mosen, quū Aaron summus
pontifex aureū uitulū prostitueret co-
lendum, illiq; festū diem institueret, ac
sacrificia, sub titulo ueri Dei, qui edu-
xerat Israēl ē Pharaonica tyrannide,
cuius nam fuit tūc iudicare de religio-
ne: Aharonis ne tantū, aut Mosis, aut
sacerdotū, aut principū uirorū: an po-
tius uniuersi populi: Similiter in con-
tradictione Core, Dathan & Abirō, &
On, insurgentiū in Mosen & Aarone,
imò cōtra diuinā institutionē, si factio-
si & schismatici isti prius iudicassent,
q; se partibus sceleratis adiūxissent, ut
potue-

potuerūt & debuerūt iudicare ex con-
cionē diuina quā audiuerāt in mōte Si-
nai, nō perdidisset ex eis plus c̄p̄ millia
XIIII, tum hians terra, tum ultor ignis.

Quādo Hieroboā Ephraimita, pri-
mus decem tribuum rex à Deo per san-
ctum prophetam ordinatus, sed metu
regni amittēdi lapis offensionis factus
populo Israel cōtra Dei uerbū templo
ædificaret, ac uitulos aurcos colendos
proponeret, exēplo pōtificis Aaronis
pessimo, cuius nā tunc fuit iudicare de
religione? An nō iuxta legē diuinā po-
pulus uniuersus debuit euertere uitu-
los, aras, templo, Mosis uiri Dei exem-
plo? Dum Elias magnus ppheta repre-
hēdit cultū Baal, quē rex Achab & in/
numerī sacerdotes atq; prophetae fal-
si tuebantur, accusantes Eliam rebel-
lionis, impietatis, seditionis, sacrile-
gij, & ubiq; insectātes, ut supplicio ul-
timo uirum Dei afficerent, cuius nam
erat de religione cōtrouersa iudicare?

Vindi-

*schisma et
heresis Hi-
eroboami.*

*Eliana uin-
dicatio re-
ligionis.*

Vindicatio certè religionis antiquæ in concilio Carmelitano satis ostendit, quid sit agendum, & quomodo. Quàm breuiter enim, q̄ sapienter, q̄ religiose determinauit causam una uoce exclamans: DOMINVS IPSE EST DEVS.

Hieremie
causa ad-
uersus sa-
cerdotes et
regem.

Dum Hieremias Dei propheta sanctiss. certat cum Phassur & alijs sacerdotibus de religione & doctrina, populo applaudente falsis doctoribus, Ioachimo autē rege etiam exurente libros sacros prophetæ, cuius tum fuit iudicare & vindicare religionem? Rechte ne proceres politici absoluerūt prophetam Dei, & illum tutati sunt? Rechte ne fecerunt socij Danielis, quando aduersus edictum regis Nabuchodonosor, de ipsis preclare meriti, statuam auream adorare noluerunt, & unius se Dei cultores esse palam testati sunt? Quum Antiochus Syrię rex, adiuuante pōtifice max. & alijs multis perfidis Israélitis, urbem Hierusalem occupasset,

set, aboleretq; religionem diuinitus ini-
stitutam, obtruderet autem uiolentia
tyrânica superstitiones ethnicas, quod
nam ius tum fuit religionem vindican-
di? Quis bonus & sapiens reprehendit Machabæos, religionis & legum
sanctorū patriæq; libertatis acerrimos
vindices? Oraculum certè diuinum &
ipsos laudat, & omnes qui exēplo pul-
cherrimo aduersus Antichristum pu-
gnant. Daniel cap. 11. Populus sciens “
Deum suum, obtinebit & faciet: & “
reliqua.

Macha-
bæi.

Porrò filio Dei præconium facien- Christi tē
te, ac cœlitus adferente nouam, ut ad- su certame
uersarij dicebant, doctrinam, quum se cū Iudeis
illi opponerent sectæ omnes Iudeo- et Herode
rum, & pontifices cum sacerdotibus,
& magistratus ciuilis, & rex Herodes,
potuerunt ne homines illius tēporis,
aut debuerunt iudicare de causa C H R I
S T I principis nostri? Aut quibus le-
gibus, & canonibus, & regulis uten-
dum

dum fuit: Dominus CHRISTVS pro-
uocat ad Mosen & prophetas, omni-
busq; liberum facit secundū illos uete-
res & authēticos Ecclesiæ doctores de
sua doctrīna iudicare. Imò CHRISTVS
ipse postulat, ac iubet, ut omnes de ma-
ximo negotio & gloriæ diuine & salu-
tis humanæ diligētissimè inquirant, &
ex ueritate iudicēt. Et gratias agit patri
coelesti, quòd idiotē mysteria regni cœ-
lorū intelligāt, quæ filij sapiētię intelli-
gere noluerunt. Cōtendunt etiā sancti

Apostoli-
rum cum
Iudeis &
gentibus.

Apostoli cum Iudeis & gentib, de rela-
tione: & hortant̄ omnes, ut abiectis an-
tiquis (ut diceban̄) & à maiorib, sibi
traditis superstitionib, Christi fidē
atq; doctrinā amplectan̄. & tūc quidē
nemo uiā perditionis relinquere, aut si-
lutis iter ingredi potuit, q nō iudicasset
prius, qd uerū aut falsum, qd bonū aut
malū, quid gratū Dño Deo aut aduer-
sum, quid sequēdū aut fugiendū esset.

Porrò Dominus CHRISTVS & A-
postoli

postoli & prophetæ sancti præmonue
runt, omnibus quidē etatibus nō defo
re, qui Christianismū oppugnent om
nibus machinis, & artibus, & uiribus:
in nouissimo tamē seculo, sub mūdi fi
nem, & gloriosum Domini aduētum,
maximas fore dimicationes. Quodqp res
horredū est cogitatu, præmonēt insur
recturos esse passim pseudoprophe
tas, qui nomē CHRISTI prese gerāt, &
uenditēt, ut dicāt, Hic est CHRISTVS,
nos plenissimā ipsius potestatē habe
mus, nos tenemus eum, nos dare & au
ferre possumus: qui talē tam fœdā rui
nam & defectionē moueant, ut plericqp
omnes à semitis uitæ Christianæ abre
pti, sectis perniciosis fese adiūgant. Si
mul aut hortant, cauendū esse, uigilan
dum esse, orādū, perseverādū in uerita
te, recedēdū à falsis doctrinis, & cultu,
pugnādū esse aduersum hostes, CHRISTI
principis, liberè cōfitendū esse no
men Christianū, quantocūqp periculo.
Neminem

Nouissimā
certamen
Christi &
Ecclesiae,
aduersus
Antichri
stum &
cōspirato
res eius.

Neminem enim salutem consequi posse , qui non perseuerauerit ad finem : neminem coronandum esse , qui non legitimè pugnauerit.

*Summa de
uindicāda
religione,
collecta ex
superiorū
temporum
actis.*

Ex quibus omnibus liquide perspicitur, omnium esse hominum iudicare de religione, & iudicandū esse ex uerbo Dei simplici, & quod planū & perspicuum est studiosis ueræ pietatis : omnium etiam esse, legitimè uindicare religionē, suo quidem modo. Nam aliqua ordinario magistratuī peculiariter injunxit Deus : ut gestare gladium iustitiae ad bonorum defensionē, & malorum uindictam, quædam uniuersis imperauit ex æquo : ut orare Deum, qui religionis curā gerat: fidemq; profiteri apud homines, & sancta conuersatione ornare doctrinā Christianam, atq; incredulos inuitare, & pellicere, ut fiant & ipsi per CHRISTVM salui. Vindicanda est autem Christiana institutio, ubiunque locorum uiolatur,

sive

sive Romę, sive alibi; et uindicāda quo-
uis tempore. Sed hæc, ut antea dixi, li-
bro quinto ex legibus diuinis & huma-
nis, & exemplis probatissimis illustra-
buntur. Et nonnulla dicta sunt in pri-
mo libro. Hoc autem satis cōstat iam
ex ratiocinatione per seriem temporis
deducta, à mūdi primordio ad finem,
non modò ius & fas esse, ut homines a-
depti rationis usum, iudicēt de religio-
ne: sed etiam utile & necessariū, ut exa-
ctè iudicare possint, & falsam religionē
discernere à uera, confictam ab homi-
nibus à diuinitū tradita, noxiām à fa-
luti. Deū enim ignorare, & dogma-
ta religionis, & leges rectè uiuēdi, cras-
sa est ignorantia, quæ non excusat, sed
damnat in die iudicij. Venit enim lux
in mundum, quę illuminat omnem ho-
minē. Sed quia homines inescati mūdi
delicijs, magis diligunt tenebras quam
lucem, sua culpa etiam non illuminan-
tur. Et qui ueritatis amorem atq; stu-
dium

dium non habent, ut fiant salui, merentur præda esse lupis & impostoribus. Et qui C H R I S T V M uitæ ducem sequi recusant, culpa sua maxima sequuntur cæcos duces, ut cum illis cadant in fo-ueam perditionis.

*Status con-
trouersie
inter Chri-
stianos de
summa reli-
gionis.*

Ab hoc igitur statu exceptionum & translationis, iam ulterius progredia- mur inuestigando, in quónam capite consistat controuersia tota religionis, quæ intercedit Christianis (liceat mihi cum pace omnium uerbis nulgo pro- tritis ut) Papisticis, et Lutheranis atq; Zuinglianis, qui Papæ & Romanæ cu- riæ minimè addicti sunt. Quod οὐ φά- λασσον, ut rhetores uocat, in magna tur- ba questionū de quibus cōtrouertitur iam diu, non multi cernunt. Habent e- nim aliquid simile conjecturis, dum quæritur, utri sint orthodoxi aut hæc eici: aliquid repetundarū actioni, dum Papistici petūt sibi restitui plenā in Ec- clesia potestatem, alij contrā sibi resti- tui

tui petūt pristinā ecclesię libertatē; ali-
quid itē definitioni. Omnes tamē que-
stiones in duo genera possunt redigi:
ut alię sint cognitionis, quę ad symboli
capita pertinēt; alię actionis, quæ De-
calogī mēbris cōtinentur. Cognitio-
nis enim questiones sunt, in quibus ex-
cutitur uerū & falsum: aut quid sit pię
credendum, uel quid abiſciendū. Vt,
duōne sint ecclesię sacramēta instituta
à Deo, baptiſmus & coena Domini, an
septē. An symbolicę res in eucharistia,
panis & uinū, cōmutentur uerbis cōſe-
cratorijs, in substantiā corporis & san-
guinis CHRISTI. An sit missa expiato-
rium sacrificiū pro peccatis uiuorū &
mortuorū? An sit ignis purgatorius,
qui animas solutas à corporib⁹ mun-
das faciat, & immunes peccati? An de-
functorū animæ dormiant? An Papa
Romanus sit caput uerum Ecclesię ca-
tholicę, et legitimus CHRISTI uicari-
us. Actionis aut̄ questiones sunt, in
h 2 quibus

Articuli
cōtrouer-
ſi duorum
ſunt gene-
rum.

Cognitio-
nis quæſtio-
nes.

Actionis
quæſtio-
nes.

quibus excutitur, quid sit faciendum,
aut fugiendum, quid rectè factum &
bonum opus, quid peccatum & male-
ficium. ut, Num sint inuocandi diui:
Num simulachra diuorū & imāgines
sint uenerandæ? An sit uxor ducenda
sacerdoti? An liceat carnibus & ouis
tempore quadragesime uesci? An con-
fiteri oporteat singulis annis apud sa-
cerdotem sua peccata? Baptisandī ne
sint infantes: ut homines semel bapti-
fati ab indignis ministris, iterū sint ba-
ptisandī. In quib. singulis crimen hæ-
refoes quidā solent impingere. Vnde
maximē contendit, quis nam sit ortho-
doxus & catholicus, aut quis hæreti-
cus. Nam Papa cum suis affeclis edi-
cit, subesse Romano pontifici, eum au-
dire, ipsi parere, credere ut præcipit
credendum, uitam Christianā ducere
ut præscribit, de salutis esse necessitate.
Et definiunt, hæreticum esse hominē
qui discordat in fide à sancta Romana
catholica

catholica ecclesia, quæ non potest errare: qui non credit, quæ credit & credit & creditura est Rom. ecclesia: qui non tenet, obseruatq; ritus & ceremonias, quas tradit, & tradidit, & traditura est Rom. ecclesia. Eos uero qui ecclesiæ Rom. nō auscultant, & obtemperant, erroneos & schismaticos, hæreticos, apostatas, rebelles, seditiones, hostes ecclesiæ, hostes omnium sanctorū, & ipsius Dei hostes declarat: eosq; uel ad obedientiam ecclesiæ Romanæ cōgendos pœnis et supplicijs, uel, si obstinatè reluentur, extirpandos esse. Id uero uniuersum negant & pernegant ceteri Christiani, afferentes in libris diuinis Apostolorum & Prophetarum, in ueteri & nouo Testamēto, in uerbo Dei copiose & luculenter expositā esse fidem Christianam. Ideoq; nihil creditu & obseruatu esse necessarium ad salutem, quam quod in sacris literis disertè scriptum extat, uel quod ex pronun-

ciatis ibi disertè scriptis, euidenti & recta ratiocinatione colligitur. Quemadmodū ex principijs notis, perspicuis, confessis, certis & indubitatis, aliæ sententiæ, quas uocant conclusiones, rectè inferuntur, in omnibus scientijs: & fidem paratam habent, quia manifestè ueris insitæ & infixæ sunt. Ut doctor gentium Paulus Corinthijs ex fidei articulo, quòd C H R I S T U S resurrexit à mortuis tertio die secundū scripturas, adstruit alium fidei articulum: omnes homines mortuos in fine mūdi resurrecturos esse. Quod plerēq; philosophorum gentilium sectæ negarunt, & multe in Ecclesia hæreses ante C H R I S T I adventum, & postea.

*Status est
definiti-
gus.*

Suprema igit̄ quæstio est in diuturna & maxima controuersia religionis hodie, quæ & temporibus Apostolicis fuit, quid sit orthodoxia, uel hæresis: quid homo pius, orthodoxus, catholicus: aut quid impius, hæreticus, planecq;

planeq; reselectus ab Ecclesiæ corpore.
Quam definitiuam cōstitutionem ap-
pellant oratores forenses. ut si Dauid
accusetur sacrilegij, quia gladium Go-
liath accepit ex tabernaculo Dei, cōce-
dente sacerdotum collegio: & panes
propositiōis, quibus uesci erat lege di-
uina laicis uetitum: definire oportet re-
cte & propriè, quid sit sacrilegiū: dein
de factū illud Dauidis cum definitio-
ne accuratè componere: & si per om-
nia quadrat Dauidis factū cum defini-
tione, Dauid conuictus sacrilegij tene-
tur: sin discrepat factum Dauidicum,
& sacrilegij definitio, Dauid ab atro-
ciissimo crimine utiq; absoluendus fue-
rit, ut tandem finiatur cōtrouersia. Et
si Paulus accuseſ læſæ maiestatis, quia
pōtifici, ad cuius tribunal stabat reus,
dixit, Percutiat te Deus paries dealba-
te: quid sit lædere maiestatē, finitione
propria explicandum est. Ita hodie
quocq; nullus erit finis aut modus litigii.

gandi & insectandi mutuū ob religio-
nem Christianam, inter ipsos etiam ti-
tulo Christianos, quamdiu non defini-
tio uera & propria, & ab utrisq; parti-
bus recepta in mediū proferit, quid sit
Christianismus uerus & sempiternus,
quid catholicus & orthodoxus & ue-
rus Christianus. Cuius opposita etiam
se se ultrò exhibent, hæresis & antichri-
stianismus, hæreticus & antichristia-
nus. Quibus deinde Papisticam insti-
tutionem, itemq; aliorū fidem, doctri-
nam, ecclesiam oportet conferre.

*Definitio
Christiani-
smi perue-
stigatur.*

Sed quia definitio proba, nō est Les-
bia regula, quam utracq; pars torqueat
ad commoditatem suæ causæ obtinen-
dæ, sed immutabilis ueritas, agè certā
& liquidam Christianismi finitionem
peruestigemus. Et Hilarius quidem e-
piscopus Pictauiensis, in Ariana perse-
cutione cū beato Athanasio, cuius sym-
bolū quotidie in ecclesijs recitatur, or-
thodoxæ fidei cōstantissimus uindex,

duo

duo reprehendit grauiter in Arianis,
Christianorum persecutoribus, quum
& ipsi nomen Christianum profiteren-
tur. Alterū fuit, quod fidei & religio-
nis atq; doctrinæ componerent definiti-
ones, & regulas, & præscriptiones
subinde nouas, & à symbolo Nicæno
discrepantes: in quo CCCXVIII. pa-
tres Ecclesiæ selectissimi fide summa &
diligentia comprehenderat, quicquid
in diuinis scripturis hominibus ipse
Deus tradidit cognitu & obseruatu
necessarium ad salutem. Alterum fuit,
quod isti nouarum definitionū archi-
tecti, ex formula de suo cerebro & op-
nionibus & affectibus producta, seue-
riter, si dijs placet, iudicabant de ortho-
doxia & hæresi. Nam simplices Chri-
stianos & firmos, qui antiqua creden-
ti præscriptione contenti, non recipie-
bat ambabus (quod dicitur) manibus
neotericas istas & mala fide consarci-
natas præscriptiones, damnarunt hæ-
refoes,

refoeos, & contumaciae, & seditionis, &
principibus atq; populis Christianis
obiecerūt modis omnibus persequen-
dos. Vnde factū est, ut Christiani cum
Ario negantes C H R I S T V M esse ôμος-
σιον, id est, cōsubstantialem patri Deo,
alios integros, orthodoxos & catholi-
cos Christianos pronunciarent hereti-
cos & sectarios homousianos, qui uer-
ba in scripturis sanctis non posita inue-
herent in Ecclesiam, & in doctrinam
fidei, eaq; pertinaciter defenderet, ma-
ximo cum detrimento reipublicæ to-
tius. Simulq; instigarūt imperatorem
Cōstantium, ut beatum Athanasium,
oculū & columen Ecclesie, eiq; homo-
doxos, totis Imperij copijs & viribus
conaret excindere. Quae res, ut nomi-
ni Christiano fuit indignissima, ita rui-
nam ecclesiæ rebus attulit maximam,
quam Hilarius preuidit, & ut decebat
fidelem C H R I S T I seruū, prædixit. Et
ea quidem Hilarius non semel egit, sed
aliquo-

aliquoties: non sermonibus, sed scriptis publicis: non apud fidei cōsortes tantum, sed pariter apud integræ religionis tenaces, & ad episcopos Arianos, & in scriptis nominatim Constantio imperatori dicatis. Itidem egerūt Donatistæ. Quum enim decreuissent filium Dei CHRISTVM esse minorem patre, & spiritum sanctum minorem filio, ex eo decreto statuerunt se catholicos esse solos, & in Numidia sola domicilium habere catholicā Ecclesiam: & rebaptizandos esse, qui à cæteris Christianis diuersa credentibus accepissent sacram baptismum. Secutæ sunt etiam catholicorum cædes: ut Augustinus, malleus istius sectæ, memorię prodidit. An similia facta sint annis iam quingētis, & amplius, à Romanis quibusdam præfulibus, & alijs præfidiibus ecclesiarum, usq; ad hodiernum diem, malo ex historijs recognosci, & experientia quotidiana, quam ut ego pronun-

pronunciem, ita omnino rem geri, & gestam esse uiolentius, quam deceat professos nomen CHRISTI: qui uenit non ad perdendum, sed ad seruandum homines peccatores.

Fidei regula, uel symbolum.

Itaqꝫ Tertullianus & Irenaeus haereticorum præscriptiones fidei cōfutantes, manu ducunt nos ad purum & indubitatum Christianismum, resolutio ne successiōis et traditionis, retro tendente ad Apostolos, ad CHRISTVM, ad Deum. Quæreremus, inquit Tertullianus, in nostro, & à nostris, & de nostro. In quo Duntaxat quod saluare regula fidei potest in quæstionē deuenire. Regulā fidei appellat dogmata coniuncta, quæ in symbolis orthodoxæ fidei ponuntur. Sic enim scribit: Regula est autem fidei, ut iam huic quid credamus, profiteamur: illa scilicet qua creditur, unū omnino Deum esse, nec aliū præter mūdi creatorē: qui uniuersa de nihilo produxerit per uerbū suum, pri
mō

mo omniū emissum. Id uerbum filius
eius appellatū, in nomine Dei uariè ui-
sum patriarchis, in prophetis semper
auditū, postremò delatū ex spiritu pa-
tris Dei & uirtute in uirginē Mariam,
carnem factum in utero eius, & ex ea
natum, egisse hominem, & esse IESVM
CHRISTVM. Exinde prædicasse nouā
legem, & nouā promissionē regni cœ-
lorum, uirtutes fecisse, fixum cruci: ter-
tia die resurrexisse: In cœlos erexitur,
sedere ad dexteram patris: misisse uica-
riam uim spiritus sancti, qui credentes
agat: Venturū cum claritate, ad sumen-
dos sanctos in uitæ æternæ & promis-
orum cœlestium fructum: & ad pro-
phanos iudicandos igni perpetuo: fa-
cta utriuscq; partis resuscitatiōe, cū car-
nis restitutione. Hæc regula à CHRI-
STO, ut probabitur, instituta, nullas
habet apud nos quæstiones, nisi quas
hæreses inferunt, aut hæreticos faciūt.
Et paulo pōst: CHRISTVS IESVS
Domi-

Dominus noster, quid esset, quid fuisset, quam patris uoluntatē administra ret, quid homini agendum determina ret, quamdiu in terris agebat, ipse pronunciabat, siue populo palām, siue di-

Apostolica doctrina, et Ecclesiæ apostolice. scētibus seorsum. Ex quibus XII. præcipuos lateris suo adlegerat, destinatos nationibus magistros. Itaq; uno eorum decusso, reliquos XI. regrediens ad patrem post resurrectionem, iussit ire & docere nationes, tingendas in partem & in filium & spiritum sanctum. Statim igitur Apostoli, quos hæc appellatio missos interpretatur, adsumpto per sortem duodecimo Mathia in locum Iudæ, ex authoritate prophetæ, quæ est in Psalmo Dauid, cōsecuti promissa, uim spiritus sancti ad uirtutes & eloquium, primò per Iudæam cōtestata fide in IESVM CHRISTVM, & ecclesijs institutis, dehinc in orbem profecti, candem doctrinam, eiusdem fidei nationibus promulgauerunt, & proinde

proinde ecclesiæ apud unamquamqz
ciuitatem condiderunt. A' quibus tra-
ducem fidei, & semina doctrinæ, cæte-
ræ exinde ecclesiæ mutuatae sunt, &
quotidie mutuantur, ut ecclesiæ fiant.
Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ depu-
tantur, ut soboles Apostolicarū ecclæ-
siarum. Omne genus ad originem suā
censeatur, necesse est. Itaqz tot ac tantæ
ecclesiæ unam esse illam ab Apostolis
primam, ex qua omnes: sic omnes pri-
mæ, & omnes Apostolicæ, dum om-
nes probat unitatem. Hanc igitur di-
rigimus præscriptionem: Si dominus
IESVS CHRISTVS apostolos misit ad
prædicandum, alios non esse recipien-
dos prædicatores, quam quos C H R I
STVS instituit. Quia nec alijs patrē
nouit nisi filius, & cui filius reuelauit:
& nec alijs uidetur reuelasse filius, qz Apostolos
Apostolis, quos misit ad prædicandū,
utiqz quod illis reuelauit. Quid au-
tem prædicarint, id est, quid illis C H R I
STVS

Nullus do-
ctor audien-
dus in ecclæ-
sia, nullus
nomothæ-
thes, nullus
dogmati-
sta, preter

STVS reuelauerit, & hic præscribam
 non aliter probari debere, nisi per eas-
 Igitur non
 alia est tra-
 ditio Apo-
 stolorum, q
 que in scri-
 ptis eorum
 extat.
 dem ecclesias, quas ipsi Apostoli cōdi-
 derunt, ipsi eis prædicando tam uiua
 (quod aiunt) uoce, quam per epistolas
 postea. Si hæc ita sunt, cōstat proinde,
 omnem doctrinā, quæ cū illis ecclesijs
 matricibus & originalibus fidei cōspí-
 ret, ueritati deputandā, & sine dubio
 tenentem, quod ecclesiæ ab Apostolis,
 Apostoli à Christo, Christus à Deo su-
 scepit: reliquā uero omnem doctrinā
 de mendacio præiudicandam, quæ fa-
 piat contra ueritatem ecclesiarū, & A-
 postolorū, & Christi, & Dei. Super-
 est ergo uti demonstremus, an hæc no-
 stra doctrina, cuius regulam suprà edi-
 dimus, de Apostolorū traditione cen-
 featur: & ex hoc ipso, an cæteræ de men-
 dacio ueniant. Communicamus cum
 ecclesijs Apostolicis, quod nulla do-
 ctrina diuersa. Hoc est testimonium
 ueritatis.

Obsecro

Obsecro uos per immortalē Deum,
reges Christiani, episcopi Christiani,
doctores Christiani, populi Christiani,
attendite Christianismi hanc definiti-
onem: quæ partialis non est, sed com-
munis partibus de Christianismo uin-
dicando contendentibus. Noua non
est, sed uetustissima. Sophistica non
est, sed theologica. Ficta non est, sed
uerissima. Nempe religionis censura,
ut aliæ res omnes, ad primam suam o-
riginem est reuocanda, & inde finitio
deriuanda est. Christiana igitur reli-
gio ad CHRISTVM principem redu-
ci debet. Eum uero nō modò Ecclesiæ Definitio
Christia-
nismi.
doctores unicū ueritatis magistrū esse
una uoce prædicant, sed exteri quoq;
& hostes: ut hæretici, ut Iosephus sa-
cerdos Iudaicus, ut Mahumed, ut dæ-
mones quibusdā responsa dantes. Ne-
mo igitur nisi hæreticis, & Mahume-
de, ipsi sc̄p Iudæis infensor Christianæ
institutioni, audebit negare CHRISTI

i serua-

seruatoris nostri doctrinā esse catholi-
 cam & orthodoxam: & quotquot eam
 sunt amplexi uel ex Iudæis, uel ex gen-
 tibus, catholicos & orthodoxos fuisse,
 & uitam æternā cōsecutos, si usq[ue] ad fi-
 » nem in ea fide perseuerarunt. In ipso e-
 » » nim uita erat, ait Ioānes, & uita erat lux
 » hominū: lux uera, quæ illuminat om-
 » nem hominem uenientē in hunc mun-
 » dum. Quotquot receperūt eum, dedit
 » eis potestatē filios Dei fieri, his qui cre-
 » dunt in nomine eius. Sed quid docue-
 rit Dominus C H R I S T V S in terris uer-
 sans, quid egerit, quam fidē & religio-
 nem tradiderit, quatuor nos Euāgeli-
 stē docēt. Quisquis igitur eam religio-
 nem corde puro tenet, ac ore confiteāt,
 catholicus & orthodoxus est, & uitam
 æternā possidebit. Eandē fidem & do-
 ctrinam Apostoli uoce uiua, & episto-
 lis tradiderunt. Utq[ue] de alijs in preſen-
 tia taceamus, Petrus, de cuius doctri-
 na gloria in primis ecclesia Romana,
 quæcū

Euāgeliū
 beati Pe-
 tri.

quæcū primas partes in uindicāda religione sibi arrogat, illam ipsam religionem à CHRISTO acceptam docuit Hierosolymis, Antiochiæ, Cæsareæ, in Asia, Romæ, & alibi. Et eandem literis Apostolicis duabus, quæ inter catholicas & canonicas epistolas numerantur, non modò quinque prouincijs Asiæ commendauit, sed etiam alijs omnibus ecclesijs ubique gentium, quæ futuræ sunt usque ad consummationē seculi. Cæterum Ioannes Marcus, discipulus & filius, aut ex sorore nepos, Petri apostolorū facile principis, rogantibus Christianis fratrib. Romæ hoc ipsum euangeliū Dei, quod Petrus ubique docuit, monumentis literarū ad posteros trāsmisit, & approbatē Petro in publicum edidit. Neque aliud euangeliū Marcus Alexandriæ docuit, & in prouincijs Aphricæ ab hac igit̄ Christianismi origine ueram definitionē petere convenit; cui repugnare quenq; CHRISTI

i 2 nomen

*Christia-
nismus ue-
rus, perfe-
ctus, in E-
uangelio
secundum
Marcum.*

nomen præ se gerentem, sit nefarium.
Est enim absq; dubio Christianismus
simplex, purus, absolutus: uerus, cer-
tus, indubitatus: antiquus, sempiter-
nus & immutabilis, quem beatus Mar-
cus à Domino CHRISTO, per ipsius
apostolum Petru acceptum, in Euan-
gelica historia perscripsit. Et ecclesiæ
sanctæ, orthodoxæ, apostolicæ sunt,
quæ fidem & doctrinā illam retinent,
ac profitentur, siue Romæ, siue in Gal-
lia, siue in Hispania, siue in Britannia,
siue in Germania, siue alibi. Necq; ne-
gari potest, quin homines reuera Chri-
stiani sint, & non hæretici, non alieni à
testamento Dei, quicunq; corde reli-
gionem illam tenent, & ore profiten-
tur, & uita exprimere sedulò student.
Quibus rectissimè etiam quadrant a-
postoli Petri definitiones: ut sortiti æ-
qualem cum Petro & omnibus sanctis
fidē, in iustitia Dei & saluatoris IESV
CHRISTI, electi sint secundū præscien-
tiam

tiam Dei patris, in sanctificatione spiritus, in obedientia & aspersionem sanguinis IESV CHRISTI. Si haec definitio Christianismi reprehendenda videretur alterutri parti, uel Papisticorum, dico, uel ceterorum Christianorum, age proferant illi, quid hic sit falsum, quid noxiū, quid alienum à Christiana fide atq; doctrina: uel quid præterea sit necessariū cognitu & obseruatu ad salutem, id in' medium adferant. Sin partibus suis integra definitio consistit, libebit hisce gradibus ad nostrā quoque aetatem descendere. Quicunq; Romę, aut Alexandrię, aut Hierosolymis, aut Antiochię, aut Ephesi, aut quocunq; in loco temporibus Apostolicis tenuerunt Christianismum, à Marco in Evangelica historia descriptum, orthodoxi & catholici fuerunt, & salutē eternam sunt adepti. Eademq; ratio est imperante Constantino maximo, & Romanam ecclesiam administrante Syl-

uestro: aut imperante Mauritio, & pontifice Gregorio magno: aut imperante Carolo magno, & pontificatum gerente Adriano: aut imperante Henricho quarto, & Gregorio septimo papa: aut imperante Alberto, & Bonifacio octavo cathedral Romanam tenente. Igitur & hodie Carolo v. imperante, Iulio uero tertio Romanam ecclesiam gubernante, Christiani orthodoxi & catholici, non haeretici, non impij, non scelerati, non Ecclesiæ & Dei hostes sunt, quicquid uspiā locorum bona fide amplectūtur Christianissimum uerum & sempiternū, qui descriptus extat in Euangelio secundū Marcum.

*Collatio
Papalis in-
stitutionis
cum veteri
Christia-
nismo.*

Adsumamus igit̄ loco minoris pro positionis, uel papistica institutionem bene, recte, beateque uiuēdi: uel eorum qui à sede Apostolica, & doctrina Petri defecisse dicuntur. Et terminata est controversia: nisi propositū est, clarissimae ueritati locum nullum dare, sed funem

funē contentiosum perpetuō nectere.
Quem mōrem & consuetudinē Eccle-
sia CHRISTI nō habet. Erit enim hu-
iusmodi argumentatio minimē sophi-
stica, uerūm plana & demonstratoria.
Christianismus uerus & sempiternus
est, in quo salus obtingit hominib⁹,
quē heatus Marcus describit in Euangeli-
ca historia: Institutio recte & be-
ne ac piē uiuēdi, & colēdi Deum opti-
mum maximū, quā Romani pape asse-
runt cum suis confortibus & iuratis,
cōtinetur in Evangelio secundū Mar-
cum: Est igitur uerus Christianismus,
omnibus nationibus, & singulis mor-
talibus obseruandus. Et contrā noui-
tiorum Euangelicorum (utendum est
enim inuidiosis illis nominibus) &
Lutheranorum atq; Zuinglianorum
institutio, pugnat cum Evangelio scri-
pto per Marcum & reliquos Euange-
listas: Non est igitur Christianismus
uerus, sed nouitia & perniciosa secta.

Quòd si uero euicerint hī fidem & do-
ctrinam , leges uiuendi & dogmata ,
& sacramentorum ritum, quæ ipsi ob-
seruant, per omnia quadrare Euange-
lio , quis erit tam iniquus & inhuma-
nus, qui non iudicet, absoluendos esse
à tēterrīmo crīmīne hāerēsos , & reci-
piendos in gremium sanctae matris A-
postolicę & catholice Ecclesiae . Quem
admodum in causa poetæ Archiæ, na-
ti Antiochiæ, se tamen gerente pro ci-
ue Romano , quum homo importu-
nus Gracchus contenderet, ciuem Ro-
manum non esse, M. Cicero cōsul Ro-
manus, & pater patriæ, asserit eum ciui-
tati Romanæ, lege Syllani & Carbo-
nis: idc̄ apud pr̄torem, & iudices de-
lectos, eiusmodi syllogismo: Ciuis Ro-
manus est ex lege Syllani & Carbo-
nis, qui foederatæ ciuitati adscriptus est
ciuis, & domicilium habuit in Italia,
quum lex scriberetur, estc̄ professus
apud pr̄torem intra Lx. diem : Aul.
Licinius

*Ciceronis
oratio pro
Archia
poeta, ciue
Romano:*

Licinius Archias adscriptus est ciuis Heracliae, quæ foederata est populo Rom. & habuit in Italia domicilium, quum lex ea scriberetur, necq; professiōnem apud prætorem aliqua sua culpa omisit: igitur Archias est ciuis Romanus. Et si non esset, tamen ob ingenium & doctrinam liberalem, donandus potius foret ciuitate, quam repellendus. Ita profecto in hac paucitate Christianorum, appēdicem eam cum syllogismo probè cōfecto iūgi uelim: ut, si qui nondum Christianismo per euangelistam Marcum descripto, numeris & punctis omnibus respōdent, ab ihs qui spirituales & perfectiores sunt, uelut errantes ouiculae quærant, ne penitus fiant præda malī dæmonis, qui circuit ut leo rugiēs, quærēs quem deuoret: sed placide reducant ad causas beatas, ut per C H R I S T V M seruent: qui linum fumigans non extinguit, & calatum quassatum non cōfringit, &

lōganimis præstolat meliorē frugem,
nolens aliquos perire, sed omnes ad
pœnitentiā reuerti, ut Petrus testatur.

*Heretos
definition.* Ediuerso etiam, hæreſeos & hæreti-
corum definitionem solidā & firmam
tenemus. Qui enim configit dogma-
ta fidei Christianæ, aut precepta uiuen-
di, repugnantia Christianismo perfe-
ctissimo, quem Euāgelica historia uel
Marci, uel al ius diuini scriptoris pro-
ponit, uel ab alijs cōficta recipit, & per-
tinaciter tueſt, cacodoxus est, hæreticus
est, à sancto piorū cœtu auulsus & reſe-
ctus est. Utq; ueterū theologorū po-
tius uerbis utar, Hæreticus est (Augu-
ſtino finitore, ad Honoratū, de utilita-
te credēdi) qui alicuius temporalis com-
modi, & maximè glorię, principatusq;
ſui gratia, falsas & nouas opiniones
uel gignit, uel sequit. Eam definitionē
reīcere Papistici non audebunt, quip-
pe quæ in corpus iuris pontificij insita
est. Idem Augustinus, malleus hæreti-
corum

corum, lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 51.
Videns diabolus templa dēmonū de-
seri, & in nomen liberantis mediatoris
currere genus humanū, hæreticos mo-
uit, qui sub uocabulo Christiano, do-
ctrinæ resisterēt Christiang, quasi pos-
sent indifferenter sine ulla correptione
haberi in ciuitate Dei: sicut ciuitas con-
fusionis indifferenter habuit philoso-
phos, inter se diuersa & aduersa sen-
tientes. Qui ergo in Ecclesia CHRI-
STI morbidum aliquid prauum que-
sapiunt, si correpti, ut sanum rectumqz
sapiant, resistunt contumaciter, suā-
que pestifera & mortifera dogmata e-
mendare nolunt, sed defensare persi-
stunt, hæretici fiunt: & foras exeun-
tes, habentur in excentibus inimi-
cis. Proinde idem Augustinus alibi
ostendit, inter hæreticos non esse ha-
bendos, qui inciderunt in errorē casu
quodam, ut si parentes fuissent irreti-
ti: quærunt autem cauta sollicitudine
uerita-

ueritatem, & parati sunt corrigi, quum
inuenerunt ueritatem. Eandem hæ-
reſeon definitionē copioſe adſtruit li-
bro 7. de uera philoſophia, Clemens,
ecclesiæ Alexandrinæ ab ipſo Marco
euangelista conditæ, eximius doctoſ.
Et Philippus presbyter, Hieronymi
diſcipulus, interpretans diſtū illud Io-
bis cap. 24. Terminos tranſtulerunt,
exponit, statuta Ecclesiæ cōuellentes.
Hæreticos eſſe ſignificauit, qui nouita-
te doctrinæ peruersæ, Euangeliæ le-
gis & Apoſtolorum terminos præfini-
tos excedunt, ſiue transponunt: & ita
deceptoria uafione diripiūt greges do-
minicos, id eſt, populos credentes in
CHRISTVM circumueniunt, ſicq; ex-
tra caulas exclusos Ecclesiæ, iam quaſi
proprios greges pafcunt: atcq; ſublato
ab eis nomine ueri paſtoris, eos ſuo no-
mine confeclarunt, & ſuo dogmate re-
pleuerunt. Eos dicit Philippus, ſicut
& Hieronymus ipliſus præceptor, anti-
quos

quos terminos, quos posuerūt patres,
transgredi, & hæreses cōdere, qui rece-
dunt à libris Apostolicis, & noua com-
menta hominib. ingerunt. Eam quo-
que definitionem hæreseos imperato-
res Christiani, Gratianus, Valentinia-
nus & Theodosius, in Codice de sum-
ma trinitate & fide catholica expresse-
runt, unā cum definitione catholicorum:
Cunctos populos, quos clemen-
tiæ nostræ regit imperium, in tali uolu-
mus religione uersari, quam diuinum
Petrum apostolum tradidisse Roma-
nis, religio usq; adhuc ab ipso insinua-
ta declarat: quamq; pontificem Dama-
sum sequi claret, & Petru Alexandriæ
episcopum, uirum Apostolicæ sancti-
tatis. Hoc est, ut secundum Apostoli-
cam disciplinam, Euangelicamq; do-
ctrinam, patris & filij & spiritus sancti
unitam deitatem, sub pari maiestate, &
sub pia trinitate credamus. Hāc legem
sequētes, Christianorū catholicorum
nomēn.

nomen iubemus amplecti : reliquos
uerò dementes uæsanos que iudicari-
tes, hæretici dogmatis infamiam susti-
nere, diuina primum vindicta, pòst e-
tiam motus animi nostri, quem ex cœ-
lesti arbitrio sumpserimus, ultione ple-
ctendos.

Spero, catholici, Christianissimi,
Christiani, serenissimi, potètissimi, ui-
ctoriosi Imperatores, Reges, & omnes
qui ciuilē geritis magistratū in populo
Dei sancto : Reuerendissimi Domini
& patres, ecclesiarum antistites: sapien-
tiaq; coelesti excellentes ecclesiarum &
academiarū doctores: & quicunq; no-
men CHRISTI principis opt. maximi
geritis, perspicuè demonstratum esse,
caput præcipuū, in quo consistit sum-
ma controuersiæ illius magnæ & diu-
turnæ, & funestissimæ inter Christia-
nos. Quòd si definitionē ueram Chri-
stianismi & hæreseos nō ueluti Merca-
rij caduceū, sed uirgā oris CHRISTI,
& sce-

& sceptrum diuinum, inter partes dis-
sidentes, pro authoritate uestra inter-
posueritis, citò minuetur, aut penitus
submouebitur contentio indignissi-
ma Christiano nomini, & quæ certam
ruinam adferet, nisi legitimis rationi-
bus ei finem atque modum statuatis.

Vt silentium imponatur ijs qui bla-
phemant, quæ ignorāt: & ut discant,
qui ignorant de quibus asseuerent, aut
quæ negent. Audiantq; Apostolum
CHRISTI, & organum electum, & do-
ctorem gentiū: qui Timotheo episco-
po Ephesino, & omnibus episcopis,
omnibus in Ecclesia principibus, om-
nibus inuocātibus nomen CHRISTI,
hæc præscribit Finis præcepti est, cha-
ritas de corde puro, & conscientia bo-
na, & fide non ficta. A` quibus quidam
aberrantes, conuersi sunt in uanilo-
quiū, uolentes esse legis doctores, non
intelligentes neq; quæ loquuntur, neq;
de quibus affirmant. Scimus autem,

quia

„ quia lex bona est, si quis ea legitimè u
„ tatur. Scientes hoc, quia lex iusto non
„ est posita, sed iniustis, & non subditis,
„ impijs, & peccatoribus, sceleratis &
„ contaminatis, parricidis & matricidis,
„ homicidis, fornicarijs, masculorū con-
„ cubitoribus, plagiarijs, mēdacijs &
„ periuris, & si quid aliud sanæ doctrine
„ aduersatur, quæ est secundum Euā-
„ gelium beati Dei. Audiat & Petrus,
„ in priori catholica epistola; Charissi-
„ mi, obsecro uos tanq̄ aduenas & pere-
„ grinos, abstinet euos à carnalibus desi-
„ derijs, quę militant aduersus animam,
„ conuersationem uestram habentes bo-
„ nam inter gentes: ut in eo quòd detre-
„ stant uobis tanquam malefactoribus,
„ ex bonis operibus uos considerantes,
„ glorificant Deum in dīe uisitationis.
„ Subiecti igitur estote omni humanæ
„ creaturæ propter Deum, siue regi, qua-
„ si præcellēti, siue ducibus, tanquam ab
„ eo missis ad uindictam malefactorum,
 laudem

laudem uero bonorum. Quia sic est uo-
luntas Dei, ut benefacientes, obmute
scere faciatis imprudentium hominum
ignorantiam. Quasi liberi, & non quasi
uelamen habentes malitiæ libertatem,
sed sicut serui Dei, Omnes honorate,
fraternitatem diligite, Deum timete, re
gem honorificate. Nemo autem uestrum
patiatur quasi homicida, aut fur, aut
maleficus, aut alienorum appetitor. Si
autem ut Christianus, non erubescat:
glorificet autem Deum, in isto nomi-
ne. Quoniam tempus est, ut incipiatur
dicum a domo Dei. Si autem primum a
nobis, quis finis eorum qui non cre-
dunt Dei euangelio? Audiatur rur-
sum Paulus: Obsecro primum om-
nium fieri obsecrationes, orationes,
postulationes, gratiarum actiones pro
omnibus hominibus, pro regibus,
& omnibus qui in sublimitate consti-
tuti sunt, ut quietam & tranquillam ui-
tam agamus in omni pietate & castita-
te, Hoc

» te. Hoc enim bonum est & acceptum
 » coram saluatore nostro Deo: qui om-
 » nes homines uult saluos fieri, & ada-
 » gnitionem ueritatis uenire.

Quæ leges Christianæ, & euangeli-
 cæ, & apostolicæ, uel potius diuinæ,
 ciuiles stabiliunt leges, ac iubent magi-
 stratuſ ordinario suo Christianos pa-
 rere, iubent leges bonas ciuitatum co-
 lere, honeste uiuere, neminem laede-
 re, ius suum cuique tribuere. Iubent fi-
 dei mysterium bona conscientia serua-
 re: ac uetant quenquam afficere contu-
 melijs & iniuria, praetextu religionis.
 neque ferunt, cuiquam hæreſeos, aut
 impietatis, aut schismatis, aut rebellio-
 nis crimina impingi, qui uitam hone-
 stam & sanctam & tranquillam dedit,
 fidei q̄ Catholice regulam & reſeram
 & symbolum conſitetur. Si quis au-
 tem sanctam CHRISTI & Apostolorū
 doctrinam deserens, furatur, aut rem
 uenereum illicite exercet, aut latrocí-
 natur,

natur, aut prodit, aut peierat, aut no-
men Dei blasphemat, ut maleficus pa-
niatur, & non ut Christianus, uel Pa-
pisticus, uel papismo aduersus. Ne-
mo etiam uiolenter ad fidem cogēdus
est, siue Iudæus, siue Mahumeticus,
siue hæreticus : sed ueritatis demon-
stratione, & authoritate diuīna ducen-
di sunt homines ad Ecclesiæ catholicæ
religionem. Quomodo Imperator Iu-
stinianus lectione diuinorū librorum
Iudæos à superstitione sua abduci, &
Ecclesiæ adiungi uult. Quomodo ue-
teres & eximij doctores Ecclesiæ, &
episcopi (ut diuina ipsorū monimen-
ta prolixè testantur) egerunt cum Na-
zoreis, Ebionitis, Manichaicis, Aria-
nis, Donatistis, Pelagianis, Mahume-
dicis, cum Iudæis, cum gentibus: & ut
religionem nostram sacrosanctam tue-
rentur, & ut eius confortes in fidei of-
ficio retinerent, & ut alienos placidè
ac more Christiano adducerent. Atque

k 2 utinam

utinam hodie Christiani, præsertim
quibus Rex regum, & princeps om-
nium pastorum, sui regni & Ecclesiæ
gubernacula cōmisit, moderationem
Gregorij theologi seruarent, in Eccle-
siæ functionibus, cuius uerba ex ser-
monibus, quos ad patrem suum epi-
scopum, & ad Basiliū magnum, &
Ecclesiā habuit, quum ad episcopa-
tum esset uocatus, coronidis uice appo-
nere uisum est: Pascendi artem me, ô
amici, docete. Erga gregem nos tuam
doce dilectionem, tuam curam ac pru-
dentiam, tuam præfecturam, uigilias
tuas, & carnis subactionem spiritui o-
bedientiem, coloris tui qui ob gregem
languet, florem, mansuetudinis deco-
rem, in negotijs tranquillitatem & hu-
manitatem, rem quæ nequaquam apud
multos reperiri potest, nec quæ multa
habeat exempla, prælia pro grege de-
pugnata, uictorias quibus in C H R I-
S T O superasti. Enarra, ad quæ nam pa-
scua

scua grex sit cōpellendus, ad quos fontes eundum, à qua pasta^ra fugiēdum, quę aqua declināda, qui nam ducendi sunt baculo, aut qui fistula: quādo grex ad pascua sit agendus, & quando reuocandus: quomodo cū lupis sit pugnandum, & quomodo cum pastoribus in pace degendū: præcipue tēpore isto, quo pastores facti sunt insensati, & dispersæ sunt oves gregis. Et postea: Nil utilius est, & securius, q̄d cum uolentes pr̄funt uolētibus. Quoniam uiadigi, nequaq̄d legis est nostræ, nec aliquid quod uiolentū est, sed uoluntarium. hoc enim nec secularē principatū stabilire posset. Quod enim ui subigit, id se oblato tempore in libertatē uendicare solet. Nostram aut̄ non præsidentiam, id est αρχὴ: sed τωδεγωγία, hoc est, institutionem, nil magis custodit, quam uoluntarium. Volentium enim, & non coactorum, salutis est mysterium.

LIBER TERTIUS, DE LEGI-
tima vindicatione Christianismi: quo expendi-
tur Apostoli dictum Ephes. 4. cap. Unum cor-
pus, unus spiritus, una spes uocationis, unus Do-
minus, una fides, unum baptisma, unus Deus,
& pater omnium, qui super omnes, & per om-
nia, & in omnibus nobis. Describitur autem
Christianismus ex Euangelica historia B.
Marci, catholice & cōpendiose.



Pistola, quam Paulus apo-
 stolus I E S V C H R I S T I,
 Romæ coniectus in uincu-
 la ob nomē Domini, à Ne-
 rone truculentissimo tyranno, scripsit
 ad ecclesiam Ephesinā, summatim ex-
 ponit Christianam institutionem, nō
 intricate & obscure, ut aliqui putant,
 sed perspicue: modò lector accedat nō
 rudis omnino, & imperitus principio-
 rum theologie, quæ pueris etiam instil-
 lantur in catechesi, & attentus, & cupi-
 dus ueritatis cognoscendæ. Quum e-
 nim

nim uideret instare tempus sui martyrij, ut mortem obiret propter Euangelij præconium, iudicauit Apostolus, quem cura omnium ecclesiarum angebat, non tam utile quam necessarium, ut ecclesiam Ephesinam, quam ipse collegerat ex Iudæis & gentibus, ac prædicatione Euangelij CHRISTO fundamento prophetarum & apostolorum imposuerat, & quidem magnis laboribus atq; periculis, ut Actorum capite 18. & cap. 19. legimus, confirmaret scripto in ea doctrina, quam ab eo presente acceperant. Nam in urbe Ephe-so, totius Asiae tunc temporis famigeratissima, plurimi Iudæi, & ex ijs aliquot doctissimi, sese totos opponebât Euangelij præconio. Idem faciebant ethnici, uidentes minui culturam Diæ, ex qua ciues uberrimum quæstum tolerabant. Confluebât illò etiam philosophi gentiliū, præstantes ingenio, & eloquentia, & doctrina. Ex quibus

rebus omnibus imminebat Ecclesiæ
CHRISTI magnum periculum, ne ho-
mines complures à fide suscepta rela-
berent in Iudaismū, aut Paganismum.
præsertim quia Nero etiam Rom. Im-
perator, quem plurimi Christiani, ob-
scelera & sœuitem, suspicabant fore
Antichristum, persequebatur fideles,
iamq; Paulum in uincula coniecerat.
Itaq; Apostolus in hac epistola, sicut
& in ea quam ad Ebreos scripsit, & Pe-
trus in utraque epistola, suadet,horta-
turq; diuinis rationibus, ut fideles in
recepto Christianismo constantes ma-
neant: extra quem nullus hominum
salutem queat assequi æternam. Nam
eam ipsam rationem recte & beatè ui-
uendi, Deumq; colendi, & non aliam,
docere omnes alios Apostolos, & qui-
dem acceptā à IESV CHRISTO, ipso
Dei filio: eandem quoq; docuisse Mo-
sen & prophetas: eandem obseruasse
à primordio mūdi patriarchas, & om-
nes

nes sanctos: immo sempiternis temporibus fuisse reconditā in diuina mente, iam autē clarius patefactā in aduentu Seruatoris: ac proinde usque in finem mundi, & per omnia secula duraturā esse. Simul edocet, quibus armis & uiribus Satanam, & eius copias, uincere possint: nimirum spiritualibus & diuinis, uerbo Dei, fide, charitate, spe, iustitia, sanctitate, flagratisimisq; ad Deū precibus. Exponit etiam summatim Christianismum, in memoriam reuocans ea quæ præsens docuit, & in quibus oportet perseverare usq; in finem. Cæterū capite quarto commemorat Christianę institutionis mēbra & partes: ac definit eam, dum exhibet caput, corpus, uitam & uirtutes Ecclesię, uinculum Ecclesiæ, alimentum Ecclesiæ, sacramēta Ecclesiæ, finem deniq; & officium Christiani hominis. Sunt enim hæc Apostoli uerba.

Obsecro itaque uos ego uinctus in
k 5 Domino,

" Domino, ut dignè ambuletis, uocatio
 " ne qua uocati estis, cum omni humili-
 " tate & mansuetudine, cum patiētia sup-
 " portantes iniucem in charitate, sollici-
 " ti seruare unitatem spiritus, in uinculo
 " pacis, unū corpus, & unus spiiitus: sic
 " ut uocati estis in una spe uocationis ue-
 " strę. Vnus Dominus, una fides, unum
 " baptisma, unus Deus & pater omnium,
 " qui super omnes, & per omnia, & in
 " omnibus nobis. Vnicuique autem no-
 " strūm data est gratia secundum mensu-
 " ram donationis C H R I S T I. & reliqua.

Et hunc quidem locum prægnantē
 esse mysterijs regni cœlorum, attentus
 lector animaduertit, qui pauculis uer-
 bis complectitur uniuersam doctrinā
 C H R I S T I Domini, Petri, Pauli, Ioan-
 nis, Iacobi, & omnium apostolorum:
 nec non Mosis, Job, Dauidis, Solomo-
 nis, Esaiæ, Efræ, & omnium propheta-
 rum. Vnde si res diuinis scripturis ob-
 scuritatem conciliat, hunc locum opor-
 tebat

tebat esse perobscurum, in quo theologia uniuersa paucissimis uerbis comprehendit. Aut si elocutio parit intelligentiae difficultatem, ut scripturæ nequeant nisi à pauculis quibusdam intelligi, hic etiā illud maximè euenisset. Nam allegoriae uelamē expansum est, & hyperbatō uerba collocat non ordine naturali, sed traiicit in alia loca. nō nulla etiam uerba omittunt, quæ requiriat absolutio sententiae. Verūm lector Scopus Epistole ad Ephes. attendēs Apostoli scopū, ad quē collimauit omnes sentētias & uerba omnia, & sermonis figurās ac tropos, sentiet hic etiam, ut ubiqz diuinū uerbum nō esse tenebras, sed lucem: nō auferre hominib. rerum cognitu necessariarū & utilium noticiā, sed patefacere. Habet autē propositū Apostolus, tum Ephesios, tum alios etiā Christianos exhortari, ut permaneant in salutifera Domini CHRISTI doctrina: neqz se abduci ab ea sinant, uel sophistas Iudaicos, aut gentiles,

gentiles , aut pseudochristianos , uel
persecutores uiolentos.

*Imagine hu-
mani cor-
poris Pau-
lus Chri-
stianismum
proponit.* Itacq; scita in primis similitudine cor-
poris animati, puta hominis, Christia-
nitatem ob oculos animi producit: in
qua non modò physici, & totius natu-
ræ periti, sed etiam quiuis hominum,
non abhorrens à sensu communi, per-
spicere potest Christianę institutionis
partes, ac totam rationem. Est enim in
homine corpus: & in eo primum ob-
tinet caput, quippe sensuum omnium
sedes, habens oculos, aures, os, linguā,
cerebrum, & alia organa sensoria: estq;
uelut officina ipsius animæ. Truncus
autem adhærens capiti, habet brachia,
pedes, & alias partes, omnes inter se
harmonia decentissima coniunctas.
Porrò uitam & sensum & motum &
omnes agendi facultates corpus nō ha-
bet ex sese, uerū ab anima: quæ ubi
corpus reliquit, nō plus sentit uel agit
corpus, quam truncus resectus, aut sa-
xum.

xum. Itaque anima præstantior pars hominis iure habetur, & uerus homo: cui corpus simulatur ut instrumentū, aut in quo degit uelut in domuncula. Vinculo etiam & nexu quodam corpus & anima coniunguntur, ut unum quidam ex tot corporis partib. & anima fiat: & quo sublato extinguitur, dissolutione animæ & corporis facta. Idque uinculum Scriptura indicat in sanguine positum esse præcipue, ut cum dicit cap. 12. Deuteronomij: Hoc solum caue, ne sanguinem comedas. sanguis enim eorum pro anima est. Et assentit vulgare iudicium: siquidem experientia docet, animal expirare effuso sanguine, aut penitus corrupto in corpore etiam. Necque repugnat, si uinculum illud esse dicatur calor temperatus in humido radicali: aut spiritus ille, qui facultatem animalem & uitalem & naturalē distribuit per totum corpus. Huic autem uinculo conseruando alimentum est

est destinatum: & immutandis qualitatibus affectionibusq; corporis, para ta sunt medicamina. Quia enim continuo motu & agitatione corporis absurmitur illud, quod animæ & corporis societatem conseruat, indigeth homo & unumquodque animal nutrimento, quod subinde restituat quod absumentur, ne penitus evanescat. Quia uero morbi accersunt mortem, suntq; ueluti uiæ ad mortem: quorum alij partem corporis uitiant, ut spasmus neruos, ut uertigo caput: alij totum corpus obsident, ut febres tertianæ, quartanæ, pestilentiales: indiget homo etiam medicina, quæ sanitatem conseruet, aut labefactam instauret, morbis depulsis. Spectatur igitur in primis, ut recte ualeat homo, et bene habeat, optimeq; uiuat. Quod alij ponunt alia in re, dum iudicant homines de summo bono, & felicitate, ut semisomnes aut ebriosi de rebus sensui oblatis. Sapienter autem Sa tyricus

tyricus dixit: Orandum est, ut sit mens
sana in corpore sano. Et in hoc sana
mente prædicti & sobrij consentiūt, qua
tenus sermo est de homine animali.
Nam de summo bono, quo fruatur ho
mo sempiternis temporibus, postea di
cetur. Manus etiam corporis hinc faci
lē perspicit, esse, ut se promptū aptūq;
præbeat organū animæ, & oculus cer
nat, dū iubet anima, & auris sonos per
cipiat, & manus elaborent id quod in
iungit, & pedes gestent corpus: aliaq;
mēbra & partes sibi assignatū officiū
peragant. Ethāc, ut antea dixi, non
sunt eruēda ex penitiori doctrina phy
sicorum, sed uulgo nota sunt. Itaq;
sapienter Apostolus Christianismū to
tum hac imagine depinxit, & ob ocu
los animorum posuit, exhortans om
nes, ut ex munere diuino fortiti Chri
stianam fidem, constanter in ea perse
uerent: neq; argutijs sophistarum, qui
verbis res mirifice uersant, ut lusores
tesseras

tesserias & chartulas lusorias miscet in
fraudem colludentium, neque uiolentia
persecutorum abstrahantur. Eadem
etiam opera suadet ahortatur, ut alie-
ni à Christianismo hactenus, unicum
hanc salutis viam ingrediantur. Consi-
deremus igitur iam deinceps singulas
partes Christianæ institutionis.

*Vnus ue-
rus Deus
Ecclesiae
Catholicae
anima.*

Vnus, inquit, est Deus, nempe ue-
rus. Nam falsa hominū opinione mul-
ti sunt dñi & domini: et unaquęq; gens
suos peculiares habet deos. ut Eph-
esij magnam Dianam, Athenienses Mi-
neruā, Romani Ianum, & Quirinum,
& Martem, & Capitolinum Iouem:
Aegyptij Serapim, Babylonij Belum,
Syri Atargatē uel Astaroth, & alijs
alios. Necq; unus est Deus, ut Monar-
chici haeretici & Sabelliani, utq; Iudei
& Mahomedici de natura diuina fabu-
lantur: sed Deus unus in essentia, tres
autem hypostases & personae distin-
ctae: non confusæ & permixte, necq; se-
paratae,

paratæ, Deus pater, Deus filius, Deus
Spiritus sanctus. Eaçq; diuina mens
neq; locorum neq; temporum spacij
conclusa, uerum infinita & immensa to-
tum corpus Ecclesiæ sanctæ animat &
uiuiscitat ubiq; gentium ab origine mu-
di, nec nō in cœlo beatos spiritus. Et
is suppeditat uitam spiritualem, & fa-
cultates bene agendi, & motum. De
quo Apostolus in Areopago Atheni-
ensi, uerbis quidem poetæ utens, etiā
ait: In ipso uiuimus, & mouemur, & su-
mus, eiusq; adeò sumus genus. Et sae-
pe testantur scripturæ, ut Deus agat in
hominibus. Quemadmodum & hoc
loco Apostolus dicit, Deum patrem
ac Dominum super omnes esse, qui o-
mnibus creaturis imperat, omniaçq; nu-
tu suo regit; idem & per omnes est, om-
nibus prouidens: & in omnibus fide-
libus, uidelicet inhabitans ut in tem-
plis gratissimis. Sicut etiam in utraque
ad Corinthios epistola explicans my-

„ sterium tabernaculi & templi: An ne-
 „ scitis , inquit, quoniam membra ue-
 „ stra templum sunt Spiritus sancti, qui
 „ est in uobis, quem habetis à Deo , &
 „ non estis uestris Mortui ergo sunt, &
 duntaxat simulachra hominum, quos
 Deus fons omnis uitę destituit. Et pec-
 cata mortalia, siue capitalia rectissime
 dicuntur, actiones quae Deum ita of-
 fendunt, ut recedat ab homine, sicut
 recessit à Saule: & subeat malus ille spi-
 ritus, impellens ad omnia flagitia, & in-
 ferens mortem æternam.

*Caput Ec-
clesiae Ca-
tholicae uni-
cum & ue-
rū est Chri-
tus.* Ex eo autem, quod unus est Deus,
 idem Apostolus in priori ad Timo-
 theum epistola cap. 2. infert, unum e-
 tiam proinde mediatorem esse Dei &
 hominum, hominem CHRISTVM IE-
 SVM, qui dedit semetipsum redēptio-
 nem pro omnibus. Idem quoq; in æ-
 dificio Ecclesiae angularis est lapis, cō-
 tinens parietes & fundamentum, præ-
 ter quod nemo potest aliud ponere: &
 in si-

in similitudine arboris, est radix. In corpore autem spirituali & mystico, est caput, ut Paulus disertè & copiose eloquitur cap. 1. huius epistolæ: *Omnia subiecit pedibus CHRISTI.* Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpleat. Ac 4. cap. Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput CHRISTVS: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturā subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusq; membra augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Et ad Coloss. cap. 1. Ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ: qui est principiū, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatū tenens. & quæ sequuntur. Vnde Gregorius magnus grauiter obiurgat Ioannē Cō

stantinopolitanū, quia uniuersalis capitis Ecclesiæ CHRISTI membra cuncta sibi conaret supponere uniuersalis episcopi appellatione.

**Membra Ecclesiæ, fit deles singu-
lari.** Iam uero Ecclesiæ membra ignorare non potest, qui uel Apostolum au-
diat in hac epistola differentem. Ut enim caput CHRISTI est Deus pater,
ita unius Ecclesiæ catholicæ capitii unicō simul cohærent omnes p̄ij & sancti homines, & spiritus defunctorum, & mentes illæ cœlestes, quos angelos ob ministerium uocat eloquiū diuinum.
Et de hominibus quidem dicit: Ipse CHRISTVS dedit quosdā apostolos,
quosdam autem prophetas, alios euangelistas, alios doctores & pastores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis CHRISTI: donec occurramus omnes in unitatē fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis CHRISTI. Eaq; membra co-

bra copiosius recenset in epist. 1. ad Corinth. cap. 12. Sunt igitur membra Ecclesiæ catholicæ tum angeli boni, tum animæ defunctorum in fide Christiana, & in terris homines qui crediderūt in nomen CHRISTI ab origine mundi, tum credituri sunt usq; in finem mundi, patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres, confessores, Ecclesiæ p̄ij doctores & pastores, & magistratus ciuiles omnium ordinū, monarchæ, optimates, & principes in liberis populis, qui rem pub. sanctè administrarunt ullo tempore, in CHRISTVM credentes, hominesq; priuati. Quæ membra uniuersa & singula uitam accipiunt, & motus ad bene, sanctè, pieq; agendum: & charismata Spiritus sancti, atcq; facultates, ut uelimus, & possimus agere quæ Deo placita sunt. Nihil enim boni habemus, quod non accepimus è manu Domini, ut Paulus noster docet. Omnes autem accipimus de plenitudine

CHRISTI, ut Ioānes docet. Quamobrem etiam Apostolus illos qui relicto Iudaismo, aut superstitionibus gentilibus, in CHRISTI religionem concedunt, socians prophetis & patriarchis & omnib. sanctis Ecclesiae ueteris ante aduentum CHRISTI, uocat συνάρματος, hoc est concorpores: & συγκληγόμενος, id est consortes & cohæredes: ut sit una sancta, catholica & apostolica Ecclesia, quæ est sanctorum communio, ut Symboli articulus nonus profitetur.

*Religio
uinculum
Ecclesiæ.* Iam uero, quod nam putemus illud esse uinculum, quod numen præpotens & homines miseros & peccatores in societatem & fœdus & unionem, a deoq; in corpus unum mysticum deuinciat, quam religionem? Quæ à religando est dicta, ut diuus Augustinus edisserit etymologiam: quia Deo religat, obstringitq; homines. Etsanere ligio, quæ constat sapientia diuina, & uerita-

ueritate, ac uerbo Dei, & fide, charita-
te, spe, timore Dei, atque alijs uirtuti-
bus, necnon uitæ sanctimonia, & bo-
nis operibus (quæ omnia dona homi-
nibus gratia Dei, & tamen accipienti-
bus liberaliter collata, ut propria im-
putat: neq; indignatur, si homo sibi ea
ut propria sumat, uerum ex gratia Dei
mera sibi donata: sicut Paulus dicit,
Meum Euangeliū) tum intellectum
homini, tum uoluntatem, tum facul-
tates reliquas quæ ex his proficiuntur,
& actiones Deo alligat, Deumq;
unit hominibus, arctissimeq; foederat,
& ipsos inter se homines nexus & san-
ctissimo & firmissimo conglutinat.

Quanquam uero ea quæ religionem
Christianam absoluunt, ita cohærent,
ut inuicem nequeant separari: tamē sy
nec dochicōs sæpen numero una res aut
duæ pro alijs omnib. ponuntur. Quod,
meo iudicio, præbuit ansam altercan-
dinon paucis in disputatione de homi-

*Synecdo-
cha in do-
ctrina in-
stificatio-
nis.*

nis iustificatione, qui tropum non obseruarunt, quo una res pro alijs pluribus aliquoties ponitur. Ut hoc loco Apostolus ponit uinculum charitatis, quod corpus Ecclesiae conglutinat.

Quemadmodum & Ioannes epist. 1.
 „ cap. 4. dicit: Deus charitas est: & qui
 „ manet in charitate, in Deo manet, &
 „ Deus in eo: & cætera. Idem Aposto-
 lus fidei primatum in cōsortio Dei &
 hominum, & salutis negotio deserte: ut
 „ cum scribit n. capite ad Ebraeos: Sine
 „ fide impossibile est placere Deo. Cre-
 dere enim oportet accendentem ad De-
 um, quia est, & inquirentibus se remu-
 nerator est. Et ad Galatas 2. cap. Viuo
 „ iam non ego, uiuit uero in me CHRI-
 „ STVS. Quod autem nunc uiuo in car-
 ne, in fide uiuo filij Dei. Rursum capi-
 te 8. epistolæ ad Rom. Spe salui facti
 sumus. Et Ebr. 7. Nihil ad perfectum
 adduxit lex: introductio uero melio-
 ris spei, per quam proximamus Deo.
 Et

Et cap. 12. eiusdem epistolæ: Pacem, in
quit, sequimini cum omnibus, & san-
ctimoniam, sine qua nemo uidebit Deū.
At uero cap. 2. ad Ephes. gratiæ & mi-
sericordiæ Dei uniuersa tribuit, inqui-
ens: Deus qui diues est in misericor-
dia, propter nimiam charitatem suam, “
qua dilexit nos, & cum essemus mor-
tui peccatis, cōuiuificauit nos in C H R I
S T O, cuius gratia estis saluati. Et mox “
adiungit fidem: Gratia enim, inquit, e-
stis saluati per fidem, & hoc non ex uo
bis: Dei enim donum est, non ex ope-
ribus, ut ne quis glorietur. Et adiungit “
opera: Ipsius enim sumus factura, crea-
ti in C H R I S T O I E S V in operibus bo-
nis: quæ præparauit Deus, ut in illis “
ambulemus. Petrus autem coniungit “
timorem Dei, & iustitiam, Actorū 10.
capite, inquiens: In ueritate comperi, “
quia nō est personarū acceptor Deus: “
sed in omni gente, qui timet Deum, “
& operatur iustitiam, acceptus est illi. “

Loquitur autem de Cornelio ethnico
 Rom. ceturione. Etepist. i. cap. i. Dei
 uirtutem & fidem coniungit, dicens:
 „ Deus & pater Domini nostri I E S V
 „ C H R I S T I, secundū misericordiā suā
 „ magnam regenerauit nos in spem ui-
 „ uam, per resurrectionem I E S V C H R I-
 „ S T I ex mortuis, in hæreditatem incor-
 „ ruptibilem, & incontaminatam, & im-
 „ marcessibilem, cōseruatam in coelis, in
 „ uobis, qui in uirtute Dei custodimini
 „ per fidem, in salutem paratam reuelari
 „ in tempore nouissimo. Eteodē loco,
 ut Deo simus insiti per coelestem rege-
 nerationem, tribuit Petrus Euāgelio.
 Quemadmodū & Paulus ad Rom. i.
 dicit Euangeliū esse uirtutem Dei, ad
 salutem omni credenti. Et cap. 10. con-
 nectit uerbum Dei & Euangeliū præ-
 conium, & inuocationem Dei, & fi-
 dem, & gratiam Dei. Nec semel Domi-
 nus C H R I S T V S ueritati & uerbo
 suo transcribit amicitiā hominis cum
 Deo.

Deo. Quod Solomon etiam facit in libro Sententiarum, & eius paraphrases in libro Sapientiae cap. 7. Sunt autem hæc uerba: Sapientia uapor est uirtus Dei, & emanatio quædam claritas omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Cauda enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innuat, & per nationes in animas sanctas se transfert. Amicos Dei & prophetas constituit. Nemine enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Ethæch actenus de religione, uinculo societatis inter Deum & homines.

Iam uero ad religionem ipsam obligant & obstringunt rerum diuinorum signa, quæ mysteria & sacramenta & significantia iustitiae fidei appellantur. De quibus Augustinus libro 19. aduersus Faustum Manichæū, uixantem super *Sacramēta Ecclesiæ ob ligat homi nes ad unā Dei uerire ligionē, De umq; fœde rant homi nibus.* Domini

Domini uerbo, Non ueni soluere legem, sed implere, ita scribit: In nullum nomē religionis seu uerum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorū uel sacramentorum uisibilium consortio colligerent. Quorum sacramentorum uis inenarrabiliter ualet plurimum: & ideo, cōtempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pie tas.

Additigitur Apostolus partib. Christianismi unū baptisma, quo inferunt homines per fidem CHRISTO, per quem solum ex mera Domini Dei gratia obtingit hominib. remissio peccatorum, iustitia, salus, & omne bonū. De quo Apostolus cap. 3. ad Galatas: Corint. II. Qui sumūt est in CHRISTO IESV. Quicunq; enim in CHRISTO baptizati estis, „ CHRISTVM induistis. Symbolum Ni cenum aut Romanū iungit hanc partem Christianismi articulo fidei de remissione

missione peccatorū dicens: Confiteor
unū baptisma in remissionē peccato-
rum. Etsi uero dictū Apostoli satis do-
cet, baptisma nō esse iterandū, neq; di-
uersarū ecclesiarū diuersum esse bapti-
smā, qd in nomine C H R I S T I, aut in no-
mine Trinitatis adorādg collatum est,
utolim Donatistē hac in re tumultuati
sunt, hodieq; nōnulli agitant intempe-
rijs illorū exemplo: magis tamen Apo-
stolus insinuat, unā rem esse spiritualē
& cœlestē & diuinā, quæ baptismo re-
præsentatur, fidelib. autem collata est
per sanctum Spiritum, tam in Ecclesia
Dei ante aduentū C H R I S T I in carnē,
quām postea. Id quod in alijs etiam sa-
cramentis obseruatū est: ut recte quo-
que dicatur, unum pascha, una circūci-
sio, una synaxis & cœna Dominica.
Quod non modò finis & usus sacra-
mentorum liquidè arguit, sed etiam ri-
tus & uerba solennia. Res enim dunta
xat symbolicæ, ut aqua, panis, uinum,
caro,

caro, & non nihil actio seu ritus uariat: significatē aut̄ res perpetuae & immutabiles sunt, & utriq; cōmunes populo. Itaq; non tam acutē q̄ religiose, ut omnia, scripsit Augustinus, sacramēta ueteris populi nūciatiua & p̄nūciatiua & promissiuā fuisse, & figurās rerum nondum impletarū: Euangelio prædicato per totum mundū, ritus sacros indicia esse rerum completarū, quas annunciant impletas esse. Necq; plus interesse, q̄ inter uerba temporis futuri & p̄teriti: ueluti, C H R I S T V S nascitus & passurus & resurrecturus est, aut C H R I S T V S natus & passus est & surrexit. Sunt em̄ hęc ipsius uerba eodem libro. Prima sacramēta, quae obseruabant & celebrabant ex lege, prænūciatiua erāt C H R I S T I uēturi. quae cum suo aduēti C H R I S T V S implevisset, ablata sunt; & ideo ablata, quia impleta. Non em̄ uenit soluere legem, sed adimplere. Et alia sunt instituta uirtute ma-

te maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: tanquam iustitia fidei reuelata, & in libertate uocatis filijs Dei iugo seruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo cōgruebat. Ac paulopost. Interim aduersus calūnios fam imperitiā Fausti demonstrare sufficerit, quanto errore delirent, qui putant signis sacramētis q̄̄ mutatis, etiam res ipsas esse diuersas: quas ritus propheticus prænunciavit promissas, & quas ritus euangelicus annunciatim pletas. Aut qui censem, cum res eisdem sint, non eas alijs sacramētis annunciarī debuisse completas, quam ijs quib. adhuc complendae prænunciabantur. Si enim soni uerborum, quibus loquimur, pro tempore commutantur, eademq; res aliter enunciatur facienda, aliter facta, sicut ista ipsa duo uerba quædixi, facienda & facta, nec paribus morarum interuallis, nec ijsdem uel totidem literis syllabis ue sonuerunt:

runt: quid mirum, si alijs mysteriorum signaculis passio & resurrectio CHRISTI futura promissa est, alijs iam facta annunciantur? Quandoquidem ipsa uerba, futurum & factum, passurus & passus, resurrecturus & surrexit, nec tedi æqualiter, nec similiter sonare potuerunt. Quid enim sunt aliud quæcum corporalia sacramenta, nisi quedam quasi uerba uisibilia, sacrosancta quidem, ueruntam uerbi mutabilia & corporalia?

*Collatio sacramento-
rum prioris populi
Dei, & Ecclesiae Chri-
stiane.*

Porro quum Ebræi Paschatis ritu, quem Deus per Mosen tradidit, serua uerint usque ad mortem & resurrectionem Christi annos MDLX: & circumcisio nis ritum quadrincentis annis amplius: portenti simile uideatur, sacramenta Ecclesiæ per ipsum Messiam Dei filium incarnatum, æternum pontificem tradita, non modo esse prorsus transformata per humanas traditiones, sed etiam usum eorum inuersum & permutatum esse, idque breui tempore post migratio-

migrationem Apostolorū CHRISTI.
Quod Gulielmi Durandi rationale
diuinorum abundè arguit, & alij eius-
dem fatinæ libri. Visum est igitur ad
Apostoli dictum & Christianismum
totum illustrandum pertinere, si uete-
ris ecclesiæ & secundariæ, mysteriorū
CHRISTI signacula breuiter compo-
nerem. Et Paulus quidem cap. 10. pri-
oris epistolæ ad Corinth. docet, eos
quos Moses eduxit ex Ægypto, bapti-
fatos esse in nube & mari: comedisse
quoq; in manna eandem escam spiri-
tualem, quæ in cœna Domini editur in
pane Dominicō: & bibisse idem pocu-
lum spirituale, aquam uidelicet proma-
nantem ex petra, CHRISTVM figurant-
te, quod poculum in Eucharistico cä-
lice Domini propinatur. Sed quia pie-
tatem non habuerunt ipsam, Deo non
placuerunt, qui eos prostrauit in deser-
to, ne ingrederent in terrā promissam.
Et rursus docet, in Ecclesia C H R I-

STI etiamnum esse circumcisionem spiritu
ritualem, non manufactam: & CHRISTU
S T U M immolatum, esse nostrum pa-
scha: & azymos panes, ueritatem atq;
synceritatem.

Baptismi et
circumcisi-
onis colla-
tio.

Verba solennia baptismi dictauit
Dominus CHRISTUS, iubens bapti-
zare in nomine Dei patris, & filij, & spi-
ritus sancti. Quae minister Ecclesiae
reddit non mala fide, cum tingens a-
qua lustrali, ait: Ioannes, ego te bapti-
zo in nomen Dei patris, & filij, & Spi-
ritus sancti. Mysterium autem expli-
cans Apostolus, uocat lauacrum rege-
nerationis: & dicit per baptismum indu-
re homines CHRISTUM, & sepeliri
cum CHRISTO, & mori peccatis, &
resurgere in uitam nouam. Et Petrus
dicit in epistola priori, diluuij, per qd
Noe cum sua domo seruatus est in ar-
ca, baptismum nostrum esse αύτιτυωφ,
quod saluos faciat per IESU CHRISTI
resurrectionem, dum bona con-
scientia

scientia & fide prædita respondet pro-
bè Deo scrutanti corda, & non respi-
cieti ad externam speciem. Circumci-
sionem uero Dominus Deus sanxit, et
tradidit Abrahamo patri credentium,
hisce uerbis, quæ Geneseos capite 17.
legimus: Ego Deus omnipotens: Am “
bula coram me, & esto perfectus. Et “
statuam pactum meum inter me & te, “
& inter semen tuum post te in genera- “
tionib. suis foedere sempiterno: ut sim “
Deus tuus, & Deus seminis tui post “
te. E tu ergo custodies pactum meum “
& semen tuum post te in generationi- “
bus suis. Hoc est pactum meum, quod “
obseruabitis inter me & uos, & semen “
tuum post te, circumcidetur ex uobis “
omne masculinum: & reliqua. Et cir- “
cumcisos esse cultro petrino, seu acuto
saxo, testatur circumcisio facta per du-
cem Iosue in Gilgal, ex diuinito præce-
pto. Mysterium autem explicat Mo-
ses cap. 30. Deuteronomij: Circumci-

m 2 dat,

„ dat, inquit, Dominus Deus tuus cor
„ tuum, & cor seminis tui: ut diligas Do-
„ minū Deum tuum ex toto corde tuo,
„ & in tota anima tua, ut possis uiuere.
„ Et Hierem. cap. 4. Circumcidimini in
„ Domino, & auferte præputia cordiū
„ uestrorū. Similiter quoq; mysterium
„ explicat legis diuinæ peritissimus A-
„ postolus CHRISTI, ad Col. cap. 3. In
„ CHRISTO circūcisi estis circumcisioē
„ non manufacta in expoliatione corpo-
„ ris carnis, sed in circūcisione CHRISTI
„ consepti in baptismo: quæq; sequun-
„ tur. Et cap. 3. epistole ad Philipp. Nos
„ sumus circūcisio, qui spiritu seruimus
„ Deo, & non in carne fiduciam haben-
„ tes. Ethoc mysterium circumcisionis
„ uulgo etiam notū fuisse in schola Mo-
„ saica, testantur uerba solennia, quibus
„ etiamnum utuntur Samaritani Mosis
„ discipuli, quæ leguntur in libro de co-
„ gnitione Dei, Samaritana lingua &
„ characterib, scripto. Quem Guīl. Po-
„ stellus,

stellus, uir de sanctis linguis & literis
bene meritus, in orbem Latinū ex O-
riente attulit. Quæ uerba literis Ebrai-
cis transcribā, & interpretabor, sciens
rem gratam fore studiosis Christianæ
doctrinæ. המוץ ערך לבר אשר הבסה Arcanum
בנשׁר על הארץ והסתור נפְשָׁר מִן האכמתה! hoc non est
ומזול ערלה נפְשָׁר בענוה וחליל' מזרון ר' aliud, quām
רזה רוגלה לו הנפלא ו/orah לעיניך הנסחא! mysteriū re-
gnī cœlo-
rum, quod
oculus car-
nalis nō in-
dit, &c.
Quæ Latinis uerbis id sonant. Concu-
piscentia tua est præputium cordis tui,
quod obtegit animam tuam, quo mi-
nus capiat scientiam: & abscondit ani-
mag tuam, quo minus capiat sapien-
tiam. Proin circumcide præputium a-
nimæ tuæ humilitate, & libera spiritū
tuum à contentione. Et reuelabitur ti-
bi admirandum & singulare arcana,
& uidebit oculis tuis quod abstrusum
est. Ex his ergo liquidè patet, unum
esse baptisma, itemq; unam circumci-
sionem in Ecclesia Dei.

Consideremus & pascha Ecclesiæ,
m 3 & cœ-

Cœnæ Do- & cœnam mysticam ueteris populi.
 minicæ & Euangelistæ quidem tres, & Paulus,
 paschalis e- institutionē cœnæ Dominicæ memo-
 puli com- paratio. rant: paschatis uero institutionē Mo-
 ses cap. 12. Exodi. Mysterium aut̄ cœ-
 næ Dominicæ explicat Apostolus 1.
 " Corinth. 10. cap. Calix benedictionis,
 " cui benedicimus, nonne communica-
 " tio sanguinis CHRISTI est? Et panis
 " quem frangimus, nonne participatio
 " corporis Domini est? Quoniam unus
 " panis, & unum corpus multi sumus o-
 " mnes, qui de uno pane & de uno cali-
 " ce participamus. Et copiosius Domi-
 nus CHRISTVS *hōwōvīāv*, hoc est, com-
 munionem atq; consortium sui docet
 capite 6. Euangelij secundum Ioannē,
 conferens interim manna, & poculum
 spiritualis aquæ in deserto. Ostendit
 enim, nullum hominē posse uitam cœ-
 lestem obtainere, nisi qui edat carnem i-
 psius, & bibat ipsius sanguinem. Ede-
 re autem & hibere, exponit credere in
 filium

filium Dei incarnatum, & passum, &
mortuum, & resuscitatum: cuius uirtu
te & merito & gratia condonatur pec
catum, & donatur uita æterna. Quod
uerba etiam solennia exprimunt, dum
minister eucharistiam distribuit: Cor
pus nostri Domini IESV CHRISTI
proficiat tibi in uitam æternā: pax te
cum. Et Dominus quidē CHRISTVS
in typico Israeliticæ ecclesiæ epulo mā
ius quiddam celebratū esse, quām me
moriam liberationis è tyrannide Pha
raonica, indicat hisce uerbis: Deside
rio desiderauit hoc pascha manducare “
uobiscum, antequam patiar. nempe ul “
timum illud, quod iam rebus ipsis im
plendum, ueram & perfectam liberta
tem filiorum Dei adferet. Ioānes quo
que dictum illud de agno paschali, Os
cīus non comminetis, CHRISTO ac
commotat. & Paulus ad Ebr. cap. II.
testatur, fide in CHRISTVM celebra
tum esse pascha. Et 1. ad Corinth. 5. Ex

” purgate uetus fermentum, ut sitis no-
” ua conspersio, sicut estis azymi. Ete-
” nim pascha nostrum immolatus est
” CHRISTVS. Itaq; epulemurnō in fer-
” mento ueteri, neq; in fermento malicie
” & nequitiae, sed in azymis synceritatis
” & ueritatis. Quòd autem ueteres in
mysterio agni paschalis CHRISTVM
perceperint, haud secus quām ecclesiæ
filij per symbola eucharistiæ & syna-
xeos, probat Esdras propheta, & legis
Mosaicæ optimus interpres: qui sex-
centis annis circiter, ante passionē Do-
mini, de Messiæ crucifixione, & de sa-
lute quæ obtingit credentib. in illum,
pascha interpretatus est. Iudæi autem
perfidī, cum luculentissimū de CHRISTO IESV testimonium subdolis &
malignis interpretationibus obscura-
re non possent, sustulerunt penitus è li-
bris diuinis, nimirum ex cap. 6. libri 1.
Esdræ, maiori piaculo & sacrilegio se-
se alligantes, quām quòd Barrabam la-
tronem

tronem à morte liberarunt, & uitæ au-
thorem tradiderunt in mortem cru-
cis. Id autem factum esse, testatur pro-
batisimus ecclesiæ scriptor, & rerum
Israeliticarū peritissimus Iustinus, in
disputatione quam habuit cum Try-
phone, principe Iudeorū. nam quum
is urgeret, ut Iustinus indicaret, quos
nam scripturæ locos Iudæi corrupe-
rint, hisce uerbis respondit: ἀφ' μὲν δὲ τῇ
Σεμιώτων, ὃν οὐκέποτε τὸ Εσθραῖον εἰς τὸν γόμον τὸν ποὺ
τῇ πάχα, τῷ οὐκέποτε τῷ πλακέφελῳ τῷ. καὶ ἐπει
Εσθραῖον λαῷ σῶσαι τὸ πάχα ὡς τῷ θύμῳ, καὶ οὐκ
καταφυγὴ θύμῳ, καὶ τὸν θλιψονθῆτε, οὐκ αὖθις θύμῳ
τῇ πλακέδιαι (ὅπι μέλομεν αὐτὸν ταπεινοῦ ἢ σημίου pro
μένει) καὶ μᾶλι τῷ τὰ ἐλπίζομεν ἐπ' αὐτὸν, οὐ μὴ δρῆ ταυρός,
μωθῆ ὁ τόπος οὗτος τὸν ἄπαντα χρόνον, λέγει οὐ
θεός τὴν διωρίμεων. εἰπὲ μὲν τοισθίσι τῷ θεῷ, μηδὲ
ἴσταις οὐτε τῷ ιησού χριστῷ αὐτῷ, εἰσεδε επίχαρμα
τοῖς εἰς τοι. Quæ latine id ualent: Ex com-
mentarijs, quibus Esdras legem de pa-
schate exposuit, hanc sustulerunt enar-
rationē: Et dixit Esdras populo: Hoc
pascha seruator noster (est) & confu-
gium nostrum. Quod si considerau-
m 5 ritis,

ritis, ascenderitq; super cor uestrum,
ueneritq; uobis in mentem (nam hu-

Dicit Hebrai miliaturi sumus eum in cruce) & po-
cū uersum stea in eo spem habuerimus, nequaq;
est in opere, signum, uastabitur hic locus in æternum, dicit
quod signi- Dominus exercituum. Si minus cre-
ficiat uexil- dideritis in eum, necq; obtemperaueri-
lum & cru- cem. ut Nu tis eius præconio, eritis gaudium & fa-
meri 21. de bula gentibus. O' cæcitatem & duri-
serpente &- tiam cordis Iudeorum, qui tam claram
de princi- prophetiam de C H R I S T O, uel potius
pib in cru- euangeliū, agnoscere noluerūt, tamq;
cem suspen- potentem ueritatē abolere conati sunt.
sis.

Sed immortali Deo gloria, qui omni-
bus prouidens ubiq;, tandem ueritatē
hanc clarissimam in lucem produxit.

Quamobrem sapiētissimè diuinus
Paulus inter Christianismi ueri & sem-
piterni membra posuit unum bapti-
sma: eademq; ratione, cōmunia sacra-
menta utriusq; populi: & in summa,
Ecclesiæ catholice. Nam unus & idem
est finis sacramentorū, quæ Deus ipse
tradicit

tradidit Ecclesie, licet rebus significati-
bus, & symbolicis mutatis: eadem sunt
res perpetue & sempiternae. Sunt enim
signa & testimonia diuina bonorum,
que Deus promisit uerbo suo credenti-
bus in nomine unigeniti filij, & signacu-
la mysteriorum fidei catholicæ, & regni
Dei, utq[ue] Paulus uocat σφραγίδες iu-
sticie fidei. Et sunt τελετæ, non tam ini-
tiationes q[uod] consummationes: que mor-
tales homines Deo immortalis, pecca-
tores sanctissimo, miseros soli beato in-
seruit atq[ue] sanctificat: ut non modò serui
& cultores sint Dei opt. max. uerume-
tiam filij & heredes & cōsortes omnium
bonorum. Nam & Dei promissa obsignat,
atq[ue] ob oculos animi ponunt, & fidem
excitant, spem fulciunt, charitatē accen-
dunt. Sunt & symbola, tesseræq[ue] pro-
fessionis, quæ arctius obstringunt q[uod] ul-
la foedera & iuramenta, ut præsent ho-
mines officium suum erga Deum & ho-
mines, memoriaq[ue] grata celebrēt Deū
opti-

optimum maximum pro immortalibus beneficijs.

Vna fides Christiana, siue historia, siue iustificans, unaq; religionis formula. Addit etiam Apostolus inter membra Christianismi, unam fidem. Est ipsum quidem nomen *w̄sis*, aut *תָּהֲוָקָה* fides, polysemū in diuinā scriptura. in quauis autem significatione, una dumtaxat est uera & sempiterna fides. Quā quam in mundo extitere à primordio innumere fides, & profesiones, & philosophiæ. Ut singulæ sectæ philosphorum gentilium, & hæreticorū conciliabula, singulæq; gentes suam quan dam peculiarem habuere formulā numina colendi, & uiuendi sancte: hodieq; subinde nouæ exoriuntur. Nam siue historicam fidem spectemus, illa est unica fides Christiana, quam docent libri Apostolorum & Prophetarum. quanquam sutores fabularum in libris apocryphis plures cōmenti sunt fides. Siue intelligamus dogma, & præceptum, & formulam atq; professionem

sionem fidei, aut res omnes, quæ professio complectitur, una est fides catholica & orthodoxa, quam Athanasius & Damasus & Tertullianus & alij catholici patres ediderūt: quam Apostolorum symbolum & Nicenū & Ephesinum & Constantinopolitanum continentur, aliaq[ue] conciliorū sanctorum & ecclesiarum symbola. Siue animi divinam uirtutem accipimus, qua iustificatus est Abraham, & Noe, & Adam, & Melchisedec, Iob, Moses, David, Petrus & Paulus, una est etiam fides omnium sanctorum. De qua Petrus scribit epist. 2. cap. 1. ad Iudeos & gentiles Christianos factos, his qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, in iustitia Dei nostri, & saluatoris IESU CHRISTI. Quam fidem non semel ethnicis etiam cōcedit Dominus CHRISTVS, dicens: Non inueni talem fidem in Israel.

Iam uero Dei uerbum, quod summatum

*Alimentum
ecclesie, &
singulorum*

*hominum,
uerbi Dei.* matim est comprehensum in symbolis, quippe CHRISTVM panem cœlestem adferēs, alimentū esse uiuificum, multa nos docent scripturæ sanctæ testimonia. Ut cum Dauid Psal. 118. dicit: Eloquia tua faucibus meis dulciora sunt melle & fauo. Et 1. Corinth. 3. Paulus inquit: Non potui uobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus. Tanquam paruulis in CHRISTO, lacuobis potum dedi, non escā.

*Medicina
uerbi Dei
est.* Idem quoq; medicamentum est animalibus. Vnde uerbum salutis aliquoties dicitur. Et Psalmo 106. Misit uerbum suum, & sanauit eos. Praeclarè quoq; liber Sap. 16. cap. In memoria sermonum tuorum exterminabantur, & uelociter sanabantur: ne in altam incidentes obliuionem, non possent tuo uti adiutorio. Etenim necq; herba, necq; malagma sanauit eos; sed tuus Dominus sermo, qui sanat omnia. Similiter doctrina sana, & sana uerba, & sanimonies

mones, dicuntur metonymiæ tropo,
quippe quæ sanos homines efficiunt,
& asserunt à morbis. Morbi sunt, falsæ
persuasiones, diffidētia, animi uitia, ut
superbia, ut avaritia: & perturbatio-
nes animi, ut ira, metus: & actiones tur-
pes, ut fraus, ut crapula, ut adulteria.

Quos morbos, & ipsam tandem mor-
tem, inferunt falsæ doctrinæ, unde A-
postolus dicit ad Timotheum scribēs:
Corrumptunt mores bonos prava col-
loquia. Et in altera epistola, propheta
nos sermones dicit proficere ad impie-
tatem, & serpere uelut carcinoma &
gangrænam. Atq; in hac ad Ephesios
epistola gentes alienas dicit à uita Dei
per ignorantiam, uolutantes per om-
nia flagitia. Quamobrem uehementer
suadet ac hortatur tum alibi sœpe, tum
in hac epistola, ut eruditī sermonibus
CHRISTI, & scriptis apostolorū atq;
prophetarum, quæ possunt uerè sapi-
entem facere, non circumferantur uen-
tis do-

*Falsæ do-
ctrinæ ex
pestiferae.*

tis doctrinæ uanæ & pestiferæ. Quin
 γόντος etiam, id est, præstigiaores &
 maleficos appellat falsæ doctrinæ ma-
 gistros: quales fuere Iamnes & Iam-
 bres, sacerdotes Ægyptij & sophistæ,
 qui restiterūt Mosi apud Pharaonem,
 donec eorū stultitia & improbitas de-
 tegeretur.

*Finis homi-
 nis et sum-
 mum bonū,
 diuinitas.*

Postremò Apostolus unam quo-
 que dicit esse spem uocationis, unam
 ueram beatitudinem, summumq; bo-
 num hominis: quod τέλος, id est, ab-
 solutionem & perfectionem hominis
 etiam dicunt. Et sophistice quidē sum-
 mum bonum, quod summopere sit ex-
 petendū, & propter quod omnia fiāt,
 monstrat stolidis mortalibus in hoc
 mundo, uel in uoluptatibus, uel in di-
 uitijis, uel in potentia, uel in gloria, uel
 in scientia, uel deniq; in uirtute, autho-
 nestis actionibus. Quæ res distractit
 maximè in seatas & hereses mundum,
 & perturbauit totam uitā humanam.

Sed

Sed uera sapientia demonstrat euidentissimis rationibus, in solo Deo, qui summè & unicè bonus est, esse positā hominis beatitudinem, & obtingere non posse plenam ante restitutionem corporum: ut totus homo compositus ex anima & corpore, in cœlesti patria cōfors atq; particeps sit diuinitatis. Et quia fideles spe iam possident, quo ali quādo pœnitissimè fruentur, Apostolus uocat spem uocationis: & in Actis non semel spem Israelis dicit resurrecti onem mortuorū. Initio autē epistolæ propriè magis enūciat summū bonū in CHRISTO pijs hominib. propositū, uocans ὑθεσίαφθεοῦ: hoc est, ut credentes in CHRISTVM Dei filiū sint per illum filij Dei adoptiui & cohæredes. Et ad Ro. 8. & ad Galat. 3. cap. Cui stipulatur Ioannes apostolus in epistola prima, & in Euangelio dicēs, similes fore Deo, & filios esse Dei. Petrus etiā epistolæ secundæ cap. 1. finem

n dicit

dicit uocationis nostræ, ut naturæ diuinæ confortes euadamus. Quod dominus C H R I S T V S aliquoties testatur uerbis etiā diuersis, ut nō modò suos sectatores Dei similes, & fratres suos dicat, & Dei filios, sed etiā deos: idq; uerbis Dauidis. Quod in illo die faustissimo cōferetur, quādo C H R I S T V S omnib. inimicis superatis & confectis, ipsacq; morte uicta penitus, regnum acquisitum tradet Deo patri: ut sit Deus omnia in omnibus. Quam spem ante adventū C H R I S T I in carnem adeò nota & ratam habuerūt sancti, ut etiam ante diluuiū fideles dicerentur filij Dei: sicut Geneseos historia docet.

*Officium
hominis,
Christum,
imitari &
parem co-
lestē in illo.*

Ex fine hominis conditi ad imaginem atq; similitudinem Dei, perspicitatem officium hominis, cuius par-

13

tes aut species sunt uerè bona opera, & honestæ & præclaræ actiones. Quod quid aliud dicemus, quam tendere ad similitudinem Dei per C H R I S T V M,

sperectis.

perfectissimā Dei imaginem, ad quam
nos per ipsius opem & gratiam subin-
de renouari oportet, ut noua tandem
illa creatura producatur, quam Solo-
mon in diuino carmine uocat שׁוֹלָמִית Schulamith, hoc est, perfectihabiam,
& ab omni parte beatā. Paulus autem
hęc loco uocat uirū perfectū in C H R I -
S T O. ad quā imitationem uocat Domi-
nus C H R I S T U S: ut cū dicit, Exemplū “
uobis præbui, ut similiter faciatis. Et “
rursum: Discite à me, quia mitis sum, & “
humilis corde. Etrursum: Perfecti e-“
stote, sicut pater uester cœlestis perfe-“
ctus est. Huc impellit Petrus, iubēs ue-
stigijs C H R I S T I Domini insistere. Et
Paulus: Imitatores mei estote, sicut ego “
imitator C H R I S T I sum. Huc uocat “
Moses: Sancti estote, nā ego sanctus sum “
Deus uester. Huc extimulat prophetæ
omnes, dum iubent ingredi per Domi-
ni uias, quod est θεῖον. Quod institu-
tum, uitæ q̄ rationem, ut summa ope-

n 2 actiones

actiones suas legi diuinæ, ac uolūtati,
 & naturæ accommodaret, Job uir Dei
 sibi propositū fuisse dicit cap. 23. Ve-
 „ stigia eius secutus est pes meus : uiam
 „ eius custodiui, & non declinaui ex ea.
 „ A` mandatis labiorū eius non recessi.

Et quia per actiones, animi pietas
 se se alijs quoq; conspiciendam & fru-
 endam exhibet, Magnus Basilius, &
 Eusebius, & alij præstantes theologi
 Christianismū definiere, similitudinē
 aut conformatiōnem Dei, quatenus id
 præstari queat ab humana natura. Ia-
 cobus autē apostolus in catholica sua
 epistola exigit optimo iure, fidem acti
 onibus testatam fieri, & pronunciat fi-
 dem absq; bonis operibus mortuam
 esse. Ethic est Christianismus uerus,
 & sempiternus, & immutabilis. Necq;
 alius fuit in mundi origine, aut post
 mortem Adami, aut sub Mose, & po-
 stea propheticis tēporibus, quam fuit
CHRISTO seruatore ipso docēte, aut
 eius

eius apostolis in toto mundo euangelium prædicantibus. Quod Tertullianus, Philastrius, Augustinus, Epiphanius, Eusebius, & alij theologi excellentes copiose demonstrarunt. Et in epistole huius principio Paulus sempiternum ostendit Christianismū, hisce uerbis: Benedictus Deus & pater domini
IESV CHRISTI, qui benedixit nos in
omni benedictione spirituali in cœlestibus in CHRISTO, sicut elegit nos in
ipso antemundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorū per IESVM CHRISTVM in ipsum: & reliqua. Porro Dominus IESVS ascenderet in cœlum, discipulis imperauit, ut omnes gentes doceant ea omnia seruare, quæ ipse mandauit, & non alia. Et funditus euersa urbe Hierosolymitana, regnoq; Dei translato adgentes, in diuina sua reuelatione quam per ange-

Ium suum cœlo demisit ad Ioannē Euangelistā & secretarium regni Dei, uniuersam doctrinam Prophetarum & Apostolorum suorum in compendiu contrahens, ac ueluti regio & imperatorio, & pontificio diplomate robore, grauiissimam addit obtestationē: qua clarissimè ostendit, sibi omnino placere, ut hæc ipsa Christiana fides usq; ad seculi finē illibata conseruetur.

*Christiani
fni ueri &
sempiterni
uel defini-
tio, uel de-
scriptio.*

ut caput ultimum Apocalypses diuinæ testatur. Proinde ut mēbra omnia, quib. doctor gentiū & organū CHRISTI electū absoluit Christianitatē, hoc oco satis exprimerē, existimauī utendum esse fusiore definitione, uel expōσet & descriptione: quam posui tertia in parte cōcilij Christiani, & generalis & liberi & sacrosancti, ad hunc modū: Christianismus est institutio benē, recte, sancte, piē ac beatē uiuendi, à Deo peruerbū æternū patefacta, & tradita, & cōfirmata. quā sancti omnes ab origi ne

ne mudi seruarūt, & seruaturi sunt usque in finē: in qua uera beatitudo, quæ est similitudo & consortium & unio cum Deo, itemq; remissio peccatorū, & iustitia & sanctitas obtingunt hominib. ex mera domini Dei ac patris cœlestis gratia, propter meritum IESV CHRISTI, per fidem. Quæ officia & opera bona omnia complectuntur legum diuinarum Decalogo: regula autē fidei XII articulis symboli Apostolici: quæ unam sanctam catholicam ecclesiam agnoscit, quæ est communio sanctorum omnium cum CHRISTO capite sanctissimo, & ipsius patre Deo, & spiritu sancto. Quæ in sacro sanctis librīs utriusq; testamēti, ceu in organo suo plenissimè, & sincerissimè, ac fide certissima explicatur. Proinde Christi animum uerū & sempiternū, in quo solo per unicum mediatorem & seruatorem CHRISTVM homines liberantur à malo, & nanciscuntur salutem,

Descriptio
onis Chri-
stianismi
partitio.

per Domini gratiam ex euangelica hi
storia beati Marci describam certa me
thodo, quam Paulus doctor gentium
sua nobis pactione monstrauit. Nam
primo theologicū organū proponā,
in quo uerba & res simul digerantur
per suos locos & classes. Deinde ca
put ecclesiae & membra exponam: Po
stea finem hominis & summum bonū,
cunctis interim bonis ac malis distri
butis per suos gradus & genera. Tum
officium hominis, & opera bona, si
mulq[ue] peccata & scelera indicabūtur.
Postremo agetur de fide, spe, charita
te, atq[ue] cæteris uirtutibus, & facultati
bus, quibus homines officiū suum
præstare queant, & boni atq[ue]
beati fieri.

CONFES.

*CONFESSIO FIDEI OR-
THODOXA& CATHOLICA BEATI IOB, & SYMBO-
LUM ANTIQUISSIMUM AB IPSO DEO AP-
PROBATUM.*

 Äterū inter ethnicos etiā fuisse notitiā CHRISTI, nō pauca diuinæ scripturæ exempla & testimonia probant. Ut nihil dicam de Sibyllarum folijs & scriptis, quæ res CHRISTI omnes propemodū in diuersis gētibus præcinuerunt. Demonstrat hoc etiam Augustinus, doctor catholicus, nō uno in loco. Et in omnib. nationib. atq; populis fuisse cognitionem aliquam CHRISTI seruatoris, licet obscuriorē, haud dubiè à patribus ueluti per manus traditam, uestigij non obscuris patet. Copiose autem & luculētissimè id conuincit liber beati Job, Idumæi sacerdotis & principis Essitarū, qui authenticis & diuinis librīs adnumera-

tur, magno totius Ecclesiæ consensu.
In eo enim proponitur Job, nō modò
ut exemplum patientiæ, sed etiam ut il-
lustre & eximū specimen hominis pñ
& religiosi, boni, sapiētis, deniqꝫ beati.
Definit enim beatus Job cap. 28. sapi-
entiā, timorē Dei, hoc est, θεοτιβεια,
& intelligentiam, uitare malum. Et
Deus quidem ipse testimonium ei red-
didit, amplius etiam quām intimo suo
amico & confederato Abrahamo, pa-
tri omnium credentium. Dixit enim
Dominus ad satanam, postquam ten-
tatus est Job uariè, & per tentationes
„ probatus: Nunquid considerasti ser-
„ uum meum Job, quòd non sit ei simi-
„ lis in terra? uir simplex & rectus, ac
„ timens Deum, & recedens à malo,
„ & adhuc retinens innocentiam? Et
post omnes tētationes dixit Dominus
„ ad Eliphazem: Iratus est furor meus
„ in te, & in duos amicos tuos: quoniam
„ nō estis locuti coram me rectum, sicut
seruus

seruus meus Job. De sapiētia uerò Job,
& religione, atq; doctrina syncerissi-
mæ theologiæ, ita pronunciauit Hiero-
nymus: Job exemplar patientiæ, quæ
non mysteria suo sermone complecti-
tur. Singula in co uerba plena sunt sen-
sibus. Et ut de cæteris sileam, resurre-
ctionem corporū sic prophetat, ut nul-
lus de ea uel manifestius uel cautius
scripserit. Cæterum diuinus Paulus
in dogmate resurrectionis mortuorū
hominum, concludit summam prædi-
cationis euangelicæ, uocans spem Isra-
elis: sicut in Christianismi partibus e-
numerādis, uocationis spem dicit. Nā
in concilio Hierosolymis, dum causa
eius ageretur coram summo pontifice
& sacerdotibus, exclamauit: De spe & “
resurrectione mortuorū ego iudicor. “
Et Romæ Iudeis fratribus dicit: Pro-
pter spem Israelis cathena hac circum-
datus sum. Et apud Felicem Rom. pre-
sidem Syrię causam dicēs: Hoc tibi cō-
fiteor,

Articulus fi-
dei de resur-
rectione car-
nis huma-
næ.

» fiteor, inquit, quod secundum sectam,
 » quam dicūt hæresim, sic deseruio patri
 » & Deo meo, credens omnibus quæ in
 » lege & prophetis scripta sunt, spem ha-
 » bens in Deum, quā & hi ipsi expectāt,
 » resurrectionem futuram iustorum &
 » iniquorū. In hoc & ipse studeo sine of-
 » fendiculo conscientiā habere ad Deū
 » & ad homines semper. Eandē senten-
 tiam copiosius etiam eloquitur coram
 Festo præside, & rege Agrippa. Et I.
 Corinth. 15. demonstratione ualidissi-
 ma & summa contentione adstruit re-
 surrectionem corporū humanorum:
 ut nuspiā fermè dialecticum tam acrē
 præstet. Nam propositis theologicis
 principijs, ut mathematici problema-
 ta & theorematata sua demonstrantes
 faciunt, ἀπαγωγὴ εἰς τὸ ἀτοπόν, id est,
 obliquo ductu argumentandi ad ab-
 surdum & impossibile aduersariū de-
 ducente, ostendit aut resurrectionem
 esse confitendam, aut dicendum quod

CHR.

CHRISTVS non resurrexerit, & uana
sit omnis Euangelij prædicatio. Necq;
obscura est connexio articulorū fidei
omniū, cum hoc fundamento & prin-
cipio de mortuorū resurrectione. De
quo, ne longior sim, non faciam plura
uerba. Et quia salutis humanæ cardo
maximè uersatur in uita æterna ex re-
surrectione mortuorum; ideo cacode-
mon seculis omnibus doctrinā hanc
maximè oppugnauit, ut uel stirpitū
eam deleret, uel obscuraret. Nā ut gen-
tium persuasiones dissimulem, philo-
sophorum sectæ pleræq;, & multæ in
Ecclesia hæreses ante CHRISTI incar-
nationem & postea resurrectionis spē
labefacere molitæ sunt. Eamq; pestem
illusorum abundaturam esse nouissi-
mis temporibus, uaticiniū diui Petri
nos præmonuit, & præmuniuit. Ve-
nient, inquit, in nouissimis dieb. illu-
sores, iuxta proprias cōcupiscētias am-
bulantes, dicentes: Vbi est promissio,

aut

„ aut aduentus eius? Ex quo enim pa-
 „ tres dormierunt, omnia sic perseverat
 „ ab initio creaturæ. Vos igitur fratres
 „ præscientes custodite, ne insipientium
 „ errore traducti, excidatis à propria fir-
 „ mitate. Crescite uero in gratia & cogni-
 „ tione Domini IESV CHRISTI. Hacte-
 nus diuinus apostolus Petrus, qui ui-
 ditruinam Ecclesiæ in hoc articulo. E-
 tenim qui negant, autrident etiam, &
 exhibilant CHRISTI gloriosum aduen-
 tum, negant simul iudicium uniuersa-
 le, negant mundi finem, negant mortu-
 orum resurrectionem, negant uitam æ-
 ternam: negant discrimen bonorum
 & malorum, & peccatorum remissio-
 nem, & CHRISTVM, & patrem CHRISTI
 Deum, & spiritum sanctum, &
 scripturas sanctas. Atq[ue] utinam hodie
 non reperiantur eiusmodi portenta in
 ea urbe, in qua Petrus & Paulus mar-
 tyrium fecerunt, impensa uita pro no-
 mine CHRISTI.

Eas

Eas ob res iudicauit confessionem symbolum beati Job, quod edidit & c.c. annis antequā Moses scriberet, in apologia, se se purgans apud amicos à criminibus atrocissimis, quae impinge bant illi, eo quod diris & protentosis æruminis esset afflictus à Deo. Nam hy pochiseos insinulabant, & impietatis, & scelerum maximorum. Quæ omnia refellit Job, proferens fidei orthodoxæ confessionem. Simulq; præbet exemplum profitendi suam fidem simpli citer, liberè, ingenuè, sine præstigijs uerborum, quum res postulat. Descripsi autem eam confessionem per columnas, Origenis exemplo: ut symbolum uetusissimum, & ab ipso Deo approbatum (quod Job ipse optat in tabulis siliceis exarari, ut ad omniū mortaliū notitiā perueniat, & uocat negotiū salutis humanæ radicem atq; fundatum) redderem illustrius, collatione trium translationum, sed uerfa rum

<i>Confessionem Hieron.</i>	<i>Ebraica.</i>	<i>Chaldaica.</i>	<i>Græca.</i>
<i>Iam lob con- uigit cū ec- clesia, que i- dem fecit, & credut, & con- fiteruntur.</i>	<i>Scio</i>	<i>Noui</i>	<i>Scio</i>
<i>לְאֵם redem- ptor</i>	<i>enim,</i>	<i>& ego,</i>	<i>& ego,</i>
<i>Vindex ut in lege Mosaica est cognatus, qui ius habet asserendi con- sanguineū, et exigendi pœ- nas ab eo qui laesit. Notat aut̄ Christum & promissū pro- toplastis, ut in Gē.3.cap.legi- mus, Ponam inimicū, mo-</i>	<i>quòd</i>	<i>quod</i>	<i>quòd</i>
<i>oc.</i>	<i>meus</i>	<i>meus</i>	<i>meus</i>
<i>suiuit:</i>	<i>uiuit:</i>	<i>uiuit:</i>	<i>uiuit:</i>
<i>&</i>	<i>&</i>	<i>&</i>	<i>post</i>
<i>nouissi</i>	<i>nouissi</i>	<i>liberati-</i>	
<i>mus, Ponam inimicū, mo-</i>	<i>mo</i>	<i>onem</i>	
<i>die</i>	<i>(tempo- suam re)</i>		
<i>Stabit, id est, nūm sitā adhi- bebit, ut opī- fex materia</i>	<i>surrectu</i>	<i>stabit</i>	<i>restitue- re</i>
	<i>rus sum</i>		<i>de</i>

Hieron.	Ebraica.	Chaldaic.	Græca.	reformæde. Quomodo et Dominus lo- quitur Ioan. 5. Tunc qui sunt in mo- numenit, etc Et Dan. 12.
de terra.	super pulue-	super terram.	super terram.	
rem.				
Et rursum	postquā	Et uero	postquā	
circun- dabor	circūde, obduxer-	quæ tolē- derint rit rat		Circumded. numero plu- rali personas tres diuine essentia innu- it. ut Genes. 3. Faciamus hominē. Ca- pite autē 26. tres personas distinguit.
	hoc horren - hoc,	dū hoc,		Job.
pelle mea, &	cute mea, a, &	cutis mea, &	pellē me, am.	Hoc: dicit̄s informe hoc quod corpus humanū dicō nequit.
in carne mea	è carne mea	è cute mea, a,	Hæce- nim	In cōplati- one Dēi po- nit hominis beatitudem: ut Christus etia, dicens,
uidebo	spectabo	uidebo	mihi confecta funt	Deum uide būt: & Pa- lus, Videbi- mus eū facie ad faciem.
Deum.	Deum.	Deum.	à Domi- no.	Quæ o ego
Quem	Quem	Quem	Quæ	Quæ content platō nō est manis, sed

efficax Dei Hieron.
fruitio: ut ho
mines in ean ego
dem gloriam ipse
transformati
cum Deo ex
pari eternā
beati uisat.

*Repetit cor-
poris perfec-
ta restituione,
ut animis al-
tius imprimat-
ur, quā eu-
lere caco-
mō conatur.*

*Idest, hoc sum
mū & unicū
est meum de-
sideriū, & in
hoc summo
bono totus cō-
quiesco, nec
requiro am-
plius quiddā.*

*Deterret om-
nes, ne perse-
guantur illos
impietatis &
luxurios nomi-*

Quare
ergo
nunc

& non

alius:

*Reposita consum-
mū & unicū
est meum de-
sideriū, & in
hoc summo
bono totus cō-
quiesco, nec
requiro am-
plius quiddā.*

est

haec spes

mea

in sinu

meo.

Theod. Bibliandri
Ebraica. Chaldaic. Graeca.

ego	ego	ego
mihi		mihi ipsi
specta-	uidebo,	simul
bo,		scio,
&	&	que
oculi	oculi	oculus
mei	mei	mei
cōspectu	uidebūt,	uident,
ri funt,		uidit,

& non	& non	& non	& non
alius:	alius:	alius:	alius:

mati	mati	mata
sunt	sunt	sunt
renes	renes	omnia
mei	mei	mihi
in sinu	in sinu	in sinu
meo.	meo.	

Nam
(olim)

Quapropter Si autem

&

di-

Hieron. Ebraica. Chaldaic. Græca.

dicitis, dicetis, dicetis, dicetis,
cur quid quid dī
cam

me, quibana
fides se ferā
integram see-
want.

persequa persequa persequa corā eo,
mure bamur bamur
um, eum, eum,
& & & &
radicem radix radicem radicem,
uerbi, uerbi sermonis sermonis
inuenia inuenta reperie inuenie
mus est bamus mus
contra e in me in eo in eo
um:

Rad. id est
fundamentū
negotij salva-
tu, ut fides ca-
tholice, et or-
thodoxe do-
ctrina, ut Eccl.
elef. 12. sine
uerbidicitur,
& sepe uer-
bi salutis.
ex hac enim
pietatis & dō-
mina sapien-
tiae radice na-
scuntur om-
nes virtutes,
& bona opera
ra.

S Y M B O L U M C H R I S T I.

anorum ex Iudaismo ad Christum con-
uersorum, quos Armeni-
os uocant.



Vdicaui magnū operæpre-
cium esse, & ad Christiani-
smi aestimationem exactiore
pertinere, si huic symbolo uetustissi-

mo Idumæi Iob subijcerē quoq; sym-
bolum orthodoxæ fidei, quod Armé-
niorum ecclesiae innumeræ propemo-
dum habent, & in liturgia sua recitant
uniuersi congregati in ecclesiam, pōst
lectam epistolā & euangelium ē sacris
librīs. Et tamen ab ecclesia Rom. dam-
nantur non solū schismatis titulo, sed
etiam sectæ & hæreseos. Sic enim scri-
bit Raphael Volaterranus, cardinalis
sancti Georgij, lib. x. Commentario-
rum urbanorū: Armeni CHRISTVM
Orthodo
xum ritum
Cardinalis
dicit Roma
etiam colunt, uerūm citra ritum ortho-
doxum, à Græcis quoq; differentes.
Præfulem habent, quem catholicum
uocant, qui sacerdotibus populoq; u-
niuerso præsit. Sacrificant & more fe-

Quid igi-
rè Latinorum. Vna tantum utuntur
tur opus est
istis tragœ-
dijs, si etiā
ritibus ec-
clesie Ro.
in plerisq;
cōgruenti

lingua. Natalem Dominicum minime
celebrant, sed nec ipsius baptismum,
dictitātes CHRISTVM expiatione nō
egere. Quadragesimam seuerè colunt,
abstinentes uel à piscibus, oleo, & ui-

no.

no, Quamuis fructibus, & leguminib;
bus, quantumuis interdiu uescendo,
ieiuniū minimè seruent. Die Veneris
carne uescuntur: ut Græcos non uide-
antur imitari. Aquam sacrificio non
admiscent. * Olim pollicentes Rom.
Pōtificis authoritatī obtēperare, quā-
do uidelicet rex eorum à præsule Mo-
guntino diadema simul cum regno ac-
cepit, consentiente Henricho impera-
tore, minimè præstiterunt. Sed & sub
Eugenio quarto Florentiam ad concili-
um uenere, rursus Christianæ religio-
nis documēta † postulatum. Hactenus
Cardinalis ecclesiae Rom. Sunt autem
multis de causis res Armeniorum pau-
lo diligētius exponēdæ, antequā sym-
bolū reddo. namq; Armenij, qui ho-
die id nominis retinent, nō sunt poste-
ri Aram filij Sem, necq; Aram nepotis
Eber: à quibus originem duxerunt
Arimi, siue Armenij, & Syri. uerū
ex Tartarorum, siue Thotharorū sunt

* Quā ap-
petunt isti
subiectio-
nē omniū,
iuxta cano-
nem Boni-
facij s. ex-
trā, de ma-
ioritate &
obedientia,
vnam san-
ctam, &c.

Male cessit
hoc concili-
um Cōstan-
tinopolita-
no impera-
tori, & om-
nib. Christi-
anis.

† Quid po-
stulatū? 1ā
annos 800.
Christiani
fuerunt, et
amplius.
Armenij,
qui nā sint
homines.

o 3 populo,

populo, ut Turcæ, & qui hodie Persæ
inocātur, & Georgiani. Et Haytonus
quidē monachus ordinis Praemonstra-
tensis, à regibus Armenijs oriūdus, in
libro de Tartaris, mores esse commu-
nes & habitum Armenijs & Tartaris,
diuq̄ dominatum atq̄ imperium te-
nuisse inter Tartaros, testatur hisce uer-
bis: Gentes in terra Armeniae habitan-

Lequitur de ijs Tar-
taris, qui circa Do-
mini annū M C L X -
XX, duce Chingis aut Chonigast ab oriente progreſſi, Europā o-
rientaliore misere affli-
xerunt, ho-
dieq; in hor-
das diuīsi cognoscun-
tur, &c.

tes, diuersis nominibus nuncupantur,
secundū terras & regiones, in quibus
degunt. Et sunt equites & pedites stre-
nui bellatores. In armis, equis, & uesti-
bus mores sequuntur & habitum Tar-
tarorum: qui sub eorum dominio Ion-
go tempore sunt detenti. Hæc ille. Cæ-
terū lingua uulgarē Tartaris & Tur-
cis cōmunem esse, necq; abludere mul-
tum Georgianorū sermonem, testan-
tur ij, qui gentium illarum & linguarū
atq; literarū habent notitiam. In re au-
tem diuina linguam habent Armeni-
cam. De quo, suo loco plura dicam.
Verūm

Verum quia Tartaricæ originis &
stirpis sunt Armenij Christiani, est ip
forum quoq; Tartarorū origo inuesti
ganda, plerisq; etiā eruditis hactenus
ignota: sed cognitu perutilis, nisi totus
fallor, ad multos scripturæ locos recti-
us intelligendos. Quæ Tartaria iam
annis aliquot uocatur, olim fuit Scy-
thia. Nomen factū est ex συκοθ sycoth,
id est, tabernaculis atque tentorijs: sub
quibus etiam degerūt uitā patriarchæ
sanctissimi longo tempore. Nominis
autem ignoratio gentes etiam ipsas &
populos inuoluit ignorantia. Ut non
pauci oriundi à Gothis, ignorant qui-
nam sint Gothi & Guthones, & Gutal-
li, & Getæ, & ubi sedes antiqua fuerit,
aut quæ fuerint commigrationes eo-
rū. Quid igitur est miraculi, si res Iude-
orum, post silentium prophetiæ & sa-
cræ literaturæ, ignorentur hodie à per-
quām multis? Quas breuiter à tempo-
re ultimorum prophetarum Esræ, Za-

Tartari
qui nā sint
homines.

chariæ, Haggæiç peruestigabo. Ac
primùm si redigantur in unum nume-
rū Iudæi, qui redierūt in patriā, Cyro
concedente libertatē, omnes qui cum
Zorobabel & Esdra & Nehemia re-
dierunt, ad quinquaginta milia uirorū
fortasse perueniunt. Verūm quum a-
nimæ L x x cum Iacobo in Aegyptū
descendentes, uiri fœminæ, adulti pue-
ri, creuerint intra C C x annos, Aegy-
ptijs etiā ultimis antīs x c mares sum-
mo studio delētibus, ut sexcenta milia
uirorū bellatorum ascēderint cum du-
ce & imperatore Mose ex Aegypto:
quot oportet myriadas creuisse ex tot
milibus uirorū, quos Salmanassar &
Nabuchodonosor monarchæ abdu-
xerunt captiuos: De illis autem Israeli-
tis, qui amore possessionū terrenarum
inter gentes remanserūt, quartus liber
Esdræ, quē ecclesia CHRISTI repo-
suit inter sacros libros, cap. 7. dicit:
,, Iocundabuntur, qui relicti sunt, in an-
nis

nis quadringtonitis. Nempe dum redu-
ces Iudæi in patria, modò per Camby-
sen regē Persarū, modò per Samballat
Samaritanos, modò per Antiochum
tyrannum, & per alios uexantur, in si-
nu gauisi sunt, quod non redierūt cum
alijs ad reædificandum templum & ur-
bem. Etcap. 12. Væ qui derelicti fue-
rint in diebus illis: & multo plus uæ il-
lis, qui nō sunt derelicti. & cetera. Reli-
cti aut̄ sermone Græco dicūtur λοιποὶ,
aut παραλείπόμενοι: Ebraico autē ser-
mone נוֹתָרִים notharim, aut תְּהֻקָּרִים uer-
bo deriuato ex יָצַר quod significat su-
peresse, & relinqui: quēadmodū אֲשֶׁר
hoc est, sed it, deriuatur שָׁבֵן incola,
uel inqlinus. Cuius plurale est תְּהֻקִּים thoschiabim, ut thotharim. Ethoc no-
mē, q̄ corruptè uocātur Tartari, agno-
scūt: ut thotharim, id est relicti, aut re-
liqui facti de Israelitis captiuis in oriē-
te, appellētur. quod etiā orientales hi-
storiæ testantur. Semper autem religi-

osi uiri ex Iudeis, ubiqꝫ locorum & gentiū, studuerūt cū ecclesia Hierosolymitana piam sanctamqꝫ societatem cōseruare. Vnde in Actis apostolorum Christi legimus 2. cap. Hierosolymis fuisse in festo Pentecostes religiosos Iudeos, Parthos, Medos, Elamitas, Mesopotamios, & ex omni natione quæ sub cœlo est. Porrò quū tempus esset euolutū, ut impleretur uaticiniū Balaamī auguris, Num. 24. cap. Orietur stella ex Iacob, & cōsurget uirga de Israel, & reliqua: non modò urbs Hierosolyma est euersa, & in Iudaea sunt diuexati Israelitæ, sed etiā in Aegypto, & in oriēte, & in omnib. regionib. turbati sunt Iudæi. Ut uniuerso mundo cōspicuū esset, eam gentem esse repudiata à Deo, propter contemptum Messiam: donec plenitudo gentiū in consortium promissi mediatoris & seruatoris IESV C H R I S T I ingrederetur, atqꝫ ita totus saluaretur Israel; ut diuinus

nus Paulus cap. 11, epistolæ ad Romanos uaticinatus est. Ab eo tempore iam statim sunt Israelitæ uarijs casibus, et coacti subinde nouas sedes querere. Vocarunt autem populos, & familias & gêtes suas, quæ plurimæ fuerunt, Moglos, ut ait Haytonus. מִגְלִים Muglim autem Ebræis dicuntur, qui Græcis μέτοικοι, & μετανάσται, Latinis aduenæ, peregrini abducti è patrio solo, & adacti migrare in alienas regiones. גָּלָה galah enim significat μετοικεῖμι, migrare & trahere migrare. Qui uero ab eis abstracti & separati sunt, & ueluti colonias deducendi in alias prouincias migrarunt, uocati sunt קֶצְרִים ketzirim & צָרִים gezirim: quos scriptores uocant Gazaros & Cazaros. Et qui passim predas egerrunt, & latrocinati sunt, etiam Gazelli uocati sunt. גּוֹלִים gozlim namque raptiores & predones significat. Et Cazaros uocatos esse, qui ueterum Turcarum, ut Plinius uocat, aut Turcorum, ut Ptolemæus uocat,

uocat, sede ad montes Ceraunios occu-
pata, ueterū colonorū nomine adopta-
to, Turcæ uoluerūt appellari, testatur
Paulus Diaconus, qui de bello Hera-
clij contra Chosroē Parthorū aut Per-
sarum regem scribit, Heraclium in La-
zicam regionem properasse, ubi quon-
dam Colchi, Albani, & Iberes; & Tur-
cos ab oriente, quos Cazaros uocant,
in auxiliū aduocasse. Vocat etiā Tur-
ce Sclauos, qui Sarmatiā reliquerunt,
ueterē suam patriam, Gazaros: id est,
abscisso. Ad eundem modum Tho-
tharim, qui Armeniam utramq; occu-
parunt, Armeniorum appellationem
sibi adoptarunt: & qui Georgorū se-
des obtinuerūt, Georgiani dici uolue-
runt. Quemadmodū etiam Gothicæ
& Germanicæ gentes, hodieq; ueterū
colonorū nomina retinentes, dicuntur
Quando Ar- Hispani, Galli, Britones, & Heluetij.
menij Chri-
stiani facti
sint.
Quando autē, & per quos, Christi
principis legatos, Armenij Thothari
ad

ad Christum sint adducti, nō possum
pro comperto dicere. Verisimile tamē
est, temporibus Constantini, quando
Audius Mesopotamius, uir eximiæ
sanctimoniacæ, sed uehementior, & an-
thropomorphita, relegatus est ad Scy-
thas, multosq; docuit Christianam fi-
dē, & post eum alijs ultrò septentriona-
les populos ad CHRISTVM adducere
fatererunt, ecclesia CHRISTI ex gen-
tib. maximè cōgregata iā triūphāte: mi-
sericordiæ coelestis ianuas esse patefa-
ctas, ut Israelitæ repudiati agminatim
ingredērentur in regnū Dei, & redun-
daret gratia, postquā redundasset ini-
quitas. Ut certè Mahumede nouā se-
ctā & deliriū suū armis propagante,
Armenios fidem Christianam tenuis-
se iam, constat: qui cum Georgianis
Mahumedi fortiter restiterunt, maxi-
mè qui Haloen prouinciam habitant.
Alij commeatu & donis belluam pla-
carunt, Omnes autem Armenij Chri-
stianos

stianos ad se confugientes fraternè excepérunt, & tutati sunt, & fouverunt.

Armenio - Eorum etiam reges non uiolentia, nō rum reges lætitia, non cædibus, non proditioribus, non fraude & dolo malo: sed māsuetudine, sed prudētia, sed officijs & beneficijs Christianis, aliquos Tar-
tarorum, id est, Israelitarum relictoru-
suorum fratrum príncipes cum infini-
tis copijs hominum CHRISTO addu-

Is Mangō xerunt, ut Haytonus Mangonem: ut
fuit impe- tandē esset unus pastor CHRISTVS,
rator in Ca & unum ouile. Semperq; Armenij iu-
thai & ma gnus Chā, uerūt Christianos occidentales in re-
quartus & cuperanda terra sancta, zelum haben-
Chingis. tes quidē pro nomine CHRISTI, sed
non perinde secundū scientiā. Quam-
obrem etiam legati Armeniorum Vi-
terbij papam Eugenium tertium con-
uenerunt, qui copias Christianorum
contra Saracenos commouerat.

Vide cap.

133. et 134.

in nauigati-

one Iose-

phi Indi.

Vnde sunt illæ gloriæ de subiecti-
one Armeniorum sub Rom. papæ o-
bedien-

bedientiam. Agnoscunt autem Antiochenam ecclesiam, suam metropolim: in qua nomē Christianum est ortum, in qua Petrus apostolus primus cathedram sanctam tenuit: unde nimirum digressi apostolici uiri, eos ad C H R I S T I notitiam & regnum traduxerūt. Quod fortasse quosdam Romanizantes tam malè habet. Cæterū episcopi, & metropolitani, & omnes Armenij, suum antistitē primariū παθολικὸν, catholicum, id est, uniuersalem uocant, non ut uniuersalis episcopus omnium episcoporum, & omnium ecclesiarū C H R I S T I, salutari & haberī debeat: Ut infelix iste Ioannes patriarcha Cōstantinopolitanus uoluit, & ob id à Gregorio magno episcopo Ro. criminationem Antichristi & diaboli reportauit: sed propter infinitū, id est, plus quam mille episcoporum numerū, quos sub se habet: ut scribit Otto Frisingensis libro septimo, de regno mundi

mūdi & ecclesiæ. Nec modo in utræcꝫ Armenia degūt Christiani Armenij, sed etiam per Asiam minorem passim, & Turchiam, itemꝫ ad Chersonesum Tauricam, & in Syria, in Mesopotamia, in Persia, in India. Omnes autem in rebus sacris habent communem linguā Armenicā, & literas: ut Occidentales Christiani Latinā linguam & literas. Domini C H R I S T I circumcisioñ religiose celebrant, quum ipsi non circumcidātur. Sed baptismi essentiales partes, quas Dominus tradidit, cōstanter seruant, baptizantes in nomen Dei patris & filij & spiritus sancti. In ritu reliquo, ubi sunt liberæ obseruationes, operosius etiam peragunt sacram lauacrum, quam occidentales Christiani. Si quid est in ieunio ipsorum superstitiosum, id aliquando emendabitur, Zacharia, & Esaia, & Paulo, in primis autem C H R I S T O magistro, docentibus eos recte ieunare. Cæterum Armenij

Armenij diuinæ scripturæ non modò
in symbolo tribuunt summā autorita-
tem, cōfidentes Prophetas & Aposto-
los impulsu spiritus sancti scripsisse: ue-
rum etiā in tota uita. Et ex tractatorib.
sacræ scripturæ plurimū deferūt Gre-
gorio Nazianzeno, Cyrillo, Ioanni
Chrysostomo. quod est spiritualis iu-
dicij. Eorum sacerdotes castitatem ser-
uant in matrimonio. Verū dum est
memoria passionis Dominice recolen-
da, quod fit dominico die & sabba-
tho, religiosi uiri abstinentē triduum ab
uxorum legitimarū consortio coniu-
gali. Ut triduo sanctificantur auditu-
ri concionantē in monte Sinai Deum:
ut Paulus docet agendum esse tempo-
re precationis: ut lex Mosaica dictauit
sanctimoniam sacerdotib. facturis rem
diuinā. Statuas in templis nō habent
ad uenerationē prostitutes, sed tantū
crucē, signum CHRISTI seruatoris ui-
ctoriosum. Quid multis? Burcardus

p mo.

monachus in descriptione terræ sanc-
tæ, illos Christianos orientales longe
præfert nostris hominib. Hæc de Ar-
menijs Christianis memorāda esse du-
xi, priusquam recitarem symbolū ipso-
rum: ut ex officio Christiano fratres in
Domino purgarem ab infamia hære-
seos: & refellerem Iudæorū atq; non-
nullorum Christianorū opinionē ua-
nam, de conclusis decē tribubus Israe-
litarum intra Caspios montes, qui no-
mine Gog & Magog, ut Iudei opinan-
tur, aut nomine rubrorū Iudæorum
sub finē mundi sint infestaturi terram
sanctam & populum Dei: utq; præbe-
rem ansam exactius cogitandi de uati-
ciñijs nōnullis, de uocandis Iudæis ad
regnum IESV CHRISTI, unici media-
toris Dei & hominū. Noluiq; diutius
latere uulgares Christianos hoc læti-
sum Euangeliū, tot esse ecclesiās,
imò episcopatus Christianos in orien-
te, & inumeros sanctos C H R I S T I
seruos,

seruos, quos ipse in frōtibus signauit,
ne lēdātur per angelos ἀλέσφας, & per
Antichrīstum. Cum plēriue putent
in Europē duntaxat parte, non sanē
maxima, Christianos esse conclusos.
Symbolū igitur sic habet, ipsis etiam
fermē uerbis, non modō articulis fidei
cōgruens cum symbolo Romano, seu
Nicæno, quod ecclesia Romana reci-
tat in liturgia.

Apoc. 7.

Credimus in unum Deum, patrem
omnipotentem, creatorem cceli & ter-
ræ, uisibiliū & inuisibilium. Additur
in alijs symbolis, omniū: quod secun-
dus articulus exprimit.

Primus ar-
ticulus fi-
dei.

Et in unū Dominū I E S V M C H R I S T U M, filium Dei, genitum à Deo pa-
tre, unigenitum, hoc est, ex natura pa-
tris, Deum de Deo, lumen de lumine,
Deum uerum de Deo uero: genitum,
non factum, consubstantiale patri:
per quem omnia facta sunt in cœlo &
in terra.

p 2 Qui

3 Qui propter nos homines, & propter nostram salutē descendit de cœlis. Et incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria uirgine, & perfectus homo factus est.

Alibi iiii. 4 Passus, crucifixus, & sepultus, descendit ad inferos.

dex Pilatus etiā no- 5 Tertia die resurrexit à mortuis.

6 Et ascendit ad cœlos in eodem corpore, in gloria patris.

7 Iudicare uiuos & mortuos. Cuius regni non erit finis. Planius est, iudicaturus: utç̄ Nicænū symbolum dicit: Et iterum uenturus est cum gloria iudicare uiuos & mortuos.

8 Credimus in Spiritū sanctum, non factum, sed procedentem (expressius alibi: Qui ex patre filioç̄ procedit, qui cum patre & filio simul adoratur, & conglorificatur.) Qui locutus est per Prophetas, & Euāgelistas: qui descendit in Iordanē super CHRISTVM: per quem & Apostoli prædicauerūt: qui etiam

etiam hactenus in sanctis habitat.

Credimus sanctam ecclesiam, catholica⁹
licam, & apostolicam.

Credimus unū baptisma, in remis-¹⁰
sionem & deletionem peccatorum.

Et resurrectionem mortuorum.¹¹

Et iudicium cum anima & corpore:¹²
& regnum & uitam æternam. Amen.

Quidnam obsecro uos Christiani
omnes, in hoc symbolo spirat Nesto-
rium, aut Arium, aut Macedoniū, aut
Eutychen, aut ullū hæresiarchā? Hanc
fidem catholicam & orthodoxam cor-
de credunt ad iustitiā, & ore confiten-
tur ad salutē, & uitæ sanctæ officijs or-
nant atq; testantur Armenij, Christia-
ni facti ex Thotharis & Iudeis capti-
uis. Et sunt adhuc, qui audeant hos
Christianos orientales aspernari; hos
fratres & membra CHRISTI uilipen-
dere; hos catholicos & orthodoxos
hæreseos damnare; Viderint illi, quo-
rum culpa impeditū est hactenus san-

p 3 etum

ctum in Domino consortiū, quod illi Christiani cum occidentalibus nō semel conati sunt instituere. Admoneri etiam se patientur, & resipiscant, sicut amici Iob resipuerunt, & in gratiā arctissimam redierūt cum ueteri amico. Nisi malunt experiri iudicium Dei terribilem; quod Iob suis amicis corām, & omnibus per scriptum suum interminatus est, qui catholicos & orthodoxos Dei cultores persecuntur. Quanquā seculis aliquot iam luimus istius tartareæ superbię pœnas, nisi talis cæciores sumus, & planè stipites. Olim, inquit Iob, dicetis: Cur eum persequebamur, in quo fundamentū negotij salutis deprehendebatur? Time te igitur gladium uobis imminentem: quia ira iniquitates parit, iniquitas ultionem Dei. Et experiemini esse iudicem.

Ad

A D L E C T O R E M
Christianum admonitio Theo-
dori Bibliandri.

Vandoquidem libri tertij
Antisophisticorū titulus
pollicetur methodicā de-
scriptionem Christianismi
ueri & sempiterni ex euangelica histo-
ria beati Marci, nolui omittere, quin ti-
bi, Christiane lector, causas redderē,
ob quas in hac editione pars illa, uel
præcipua, nō ueniat in publicum. Mi-
serā equidē organi theologici, quod
(fateor) nō sine labore magno paraue-
ram, aliquantam partem ad Oporinū
typographum, simul admonēs, quot
paginas estimatione mea reliquum o-
pus uideretur occupaturum esse. Is re-
scripsit, ut uirum bonū decebat, & ami-
cum syncerum, nō tam ex suo iudicio,
quām aliorum piorum & eruditorum
hominū, se uercri, istam grammaticam

*Cause, ob
quas Chri-
stianismus
ē Marco de
scriptus iā
non exhib-
beatur.*

& logicam uerborum & rerum tracta-
tionē, ueluti spinis quibusdam & acu-
leis non paucos offensuram esse: non
nulos etiā iudicaturos inutilem & su-
peruacaneam, parumq; theologicā tra-
ctationē. Evidē ut iudicio piorum
uirorum, & presertim amicorū tribuo
plurimū, & eī libenter acquiesco, dum
rationes euidentes me non retrahunt
in diuersam sententiā: ita nequeo dissi-
mulare, me penitus in ea hērere sen-
tia, Christianismū nequaquā certa &
absoluta methodo posse explicari, nisi
uoces singulē uelut elemēta in suos or-
dines distribuantur. Itaq; re diligētius
perpēsa, uisum est exemplo multorū,
etiam theologorū ueterum & eximio-
rum, hanc partem libri tertij aliud in
tempus differre, & expectare iudicia
hominū de Organi theologici ratiōe,
cuius specimē exhibui nuper in expla-
natione sermonis diuinæ maiestatis.
Quòd si cognouero pijs & eruditis ui-
ris non

ris nō displicere eam tractationē, & in
hac parte meam operam nō ingratis
fore, primo tempore dabo Christiani-
smū descriptū certa methodo exEuan-
gelica historia uel separatim, uel con-
iunctim cum libro quarto, qui theo-
logicū elenchum & cōpendiariam cō-
futationem h̄ereticorū dogmatū exhi-
bebit. Hanc meā defensiunculā, Chri-
stiane lector, quæso expende nō osci-
tanter: quæ, uti spero, apud æquos iu-
dices omnes, liberabit me à grauiori
reprehensione: præsertim cùm uerba
diuini Apostoli explanando, Christia-
nismi formam exhibuerim, & antea co-
piosius etiam in tertio libro Concilij
sacrosancti.

Verū ne uel iniquior aliquisullo iure
cōqueri possit, operis præcipuā partē
omissam esse, age supplemēto eximio
refaciā, quod honestis de causis iam
non exhibeo, ut promisi. Et pro Chri-
stianismi ueri & sempiterni methodi

Christianī
fīmus à Chri-
sto met ex-
positus.

ca descriptione ex historia euangelica
beati Marcii, dabo, si me adiuvet Do-
mini gratia, Christianismū ab ipsomet
principe CHRISTO non modo cōpen-
diosc descriptum, sed etiam uiuis ima-
ginibus & coloribus depictū atq; effi-
giatum: in modo actione mystica & cœlesti
per angelos sanctos repræsentatū. Et
enim Apocalypsim I E S V CHRISTI
nō esse figmentum Cerinthi, aut ullius
hæretici, non deliramentum apocry-
phum Papie episcopi, discipuli Ioānis
Euangelistæ, aut alterius cuiuspiā scri-
ptoris supposititiū opus, sed librū tem-
poribus Apostolorū scriptum ab ipso
Ioanne, qui & euāgelicam historiam,
& catholicas epistolas scripsit, & esse li-
brum sacrum, ecclesiasticū, canonicū,
authenticū, diuinum, testantur copio-
se tum historiæ fidei spectatę, tum cen-
sura theologorū ueterum & recentior-
um, Græcorum simul & Latinorum,
tum stylus, tum ipsæ res. Quem librū
Domini

*Apocaly-
pis qualis
liber.*

Dominus IESVS, urbe Hierusalē cum
templo & umbratilib, cærimonīs euer-
sa iam, & regno Dei ad gentes transla-
to, ac prædicato Euangelio per totum
orbem, & monumentis literarū exposi-
to, è throno diuinæ maiestatis suæ de-
misit per angelū suum, ad Ioannem di-
scipulum dilectissimū, & archigrāma-
tea Ecclesiæ catholice, perq[uod] uirum spe-
ctatissimum uulgauit ecclesijs. In quo
Prophetarū & Apostolorū omnis do-
ctrina compendiose comprehēditur:
ut nullum theologiæ cōpendium ab-
solutius & præstantius possit cogita-
ri. Omnem quoq[ue] doctrinam utriusq[ue]
testamēti spiritu sancto impulsore pu-
blicatam, ipse Deus & Dominus spiri-
tuum & prophetarum omnium, uelu-
ti regio, & imperatorio, & pontificio,
& planè diuino diplomate confirma-
uit: simulq[ue] præcidit in posterum, uel
occasionem & audaciam fingendi li-
bros authenticos, uel mutandi & abo-
lendi

Quādo pu-
blicata re-
uelatio Iesu
CHRISTI.

Quid con-
timeat Apo-
calypsis.

lendi ea, quæ tradita sunt ecclesiæ san-
ctæ catholicæ per I E S U M C H R I-
S T V M uersantē in terris, & per ipsius
sanctissimos Apostolos, & per Mo-
sen atq; cæteros Dei Prophetas uete-
res. Itaq; C H R I S T V S princeps, & ip-
sius Ecclesia sancta catholica tam mili-
tans in terris, quam triumphans in cœ-
lis, omniaq; instituta & facta ecclesiæ
usque in mundi finem: & ex opposito
C H R I S T I & ecclesiæ hostes, primū ca-
codæmon, deinde ipsius synagoga sa-
tanica, postremò tragœdiæ & bella,
quæcunque malus dæmon mouit per
suam primogenitā Sophistiken ab ori-
gine mundi, & moturus est usque ad
mundi finē, ut antea dixi, & uerbis di-
uinis describuntur, & uiuis coloribus
sancti spiritus penicillo pingūtur, gra-
phicè & iconicè sculpūtur simulachris
coelestibus, denique uelut in theatro
augustissimo & scena Domini exerci-
tiū repræsentantur, Vbi non Roscius

&

& Aesopus, & histriones scenici fabulam agunt tragicam, aut comicam: sed angeli Dei sancti personas CHRISTI & ecclesiarum, itemque aduersariorum personas, induiti actione coelesti, res gestas & gerendas mirificè representant. Itaque patrum excellentissimus Epiphanius, refutans Alogianos hereticos, & Euan gelium & Apocalypsim Ioannis rei-
cientes, quos ipse recte ἀλόγος & ανοήτος uocat, praeclarum usum diuining reuelationis nobis ostendit. Quum enim illi pingues & crassi rerum cœlestium aestimatores blasphemarent, Quid me iuuat Apocalypsis Ioannis, loquens mihi de septem angelis & septem tubis: Ad haec respondet sanctissimus & doctissimus episcopus Epiphanius: Ne-
sciunt isti, πῶς αὐταγκαῖα ή̄ σφέλιμα τὰ τοιαῦτα ὑπῆρχεν ἐμ τῷ ὁρθότητι τῷ κηρύγματῳ. οὐ γάρ ἡρ ἐμ νόμῳ, οὐ ἐμ περιττοῖς σκοτειναῖς αἰνιγματοῖς οὐγ, ταῦτα ὁ κύει Θωκονόμησε μέτρον ἔγιο πνεύμα τοις εἰς ἡμῶν σωτείαις, οὐδὲ δύλω αὐτῷ ιωαννῷ ἀπολύται τοι εκάστη σκοτεινά, οὐδὲ εἰς τανόνυμα πικά

*Epiphanius
iudicium de
Apocalyp-
psi.*

κού

Εκδιλα λεγεται, των μαρτιων δε τα αυτα φανταστικα. Quae Cornarius ita latine reddidit: Et nesciunt, qui talia dicunt, quod necessaria & utilia huiusmodi sunt in prædicationis rectitudine. Nam quæ in lege ac Prophetis obscurius & in ænigmate tecta fuerunt, ea Dominus dispensauit, ut per spiritum sanctum ad nostram salutem seruo ipsius Ioanni revealaretur. Et quæ illic obscura fuerunt, hic in spiritualia & manifesta prædicans, spiritualiter nobis eadem dispensauit. Quoniam obrem ex reuelatione Domini, ac Dei & seruatoris nostri IESU CHRISTI, hoc est, ex compendio theologiae ipsius longè præstantissimo, ex diplomate in primis authentico, ex opere ipsius dramatico, mysteria simul regni coelorum, & inuolucra sophistica infernalis aulæ sub oculos producente, imagines illas & actus proferat, quibus CHRISTVS & Ecclesia representantur. Latina uero interpretatione

neue

*Quid ex diuinâ reuelatiōe huc sit transcri-
ptum.*

ne ueteri utar, & si quid Græci codices
diuersum habent, quos plures inter se
contuli, parentheseos notis inclusum
etiam indicabo, & in margine annota
tiunculas apponam, que sint uice com
mentarij. Porrò imagines, que malum
dæmonem, eiusque conspiratos ostendunt,
illis reliquam excutiendas, qui
contendunt Christianismum non ple
nè traditum in sacris libris Apostolo
rum & Prophetarū, sed magna ex par
te in traditionibus ecclesiæ, & præser
tim Romanæ, contineri.

*IMAGO IESV CHRI
STI, & ipsius sanctæ catholicæ
ecclesiæ, Apocalypseos
cap. I. II. III. IIII.*


Go Ioānes frater uester, &
particeps in tribulatione,
& regno, & patientia IESV
CHRISTI, fui in insula Pa
tmo propter uerbum Dei, & testimo
niū

Vbi & quan
do hec reue
lata sint pa
tmos in insula
bodie Patmo
sa Venetæ est
ditionis. Tunc

*autem annus
XV. Domini
tiani, à Chri-
sto nato se-
xtus est no-
nagesimus.*

nium IESV CHRISTI Fui in spiritu,
in dominica die: & audiui post meo
cem magnam tanquam tubæ dicentem:
Ego sum alpha & omega, primus &
nouissimus. Quod uides, scribe in li-
brū, & mitte ecclesijs septem (καὶ qui-
dam nō habēt) in Asia, Epheso, Smyr-
næ, & Pergamo, & Thyateiris, & Sar-
dibus, & Philadelphiae, & Laodiceæ.
Et conuersus sum, ut uiderem uocem,
quæ loquebatur mecum. Et cōuersus
uidi septem cādelabra aurea, & in me-
dio (& inter Ebr.) septē candelabrorū
aureorum (Græci non habent aureo-
rum, quidam etiam nō habent septē)
similem filio hominis uestitum pode-
re, & præcinctū ad mamillas zona au-
rea. Caput autem eius, & capilli candi-
di, uelut lana alba (&) tanquam nix, &
oculi eius uelut flāma ignis, & pedes
eius similes aurichalco (καλυπτεως,
que est species electri, in Ezechielis de-
scriptione הַמְלָאֵךְ haśmal, sicut in ca-
mino

mino ardenti (rectius, ceu in camīno igniti.) Et uox illius, tanquā uox aquarum multarum. Et habebat in dextera (manu) sua stellas septē. Et de (ex ipsis) ore gladius utracq; parte acutus exibat. Et facies eius, sicut sol lucet in uirtute sua. Et cūm uidisse eum, ceci-
di ad pedes eius tanquā mortuus. Et posuit dexteram (manum) suam super me, dicēs (mihi) Nolit imere, Ego sum primus & nouissimus, & uiuus, & fui mortuus. Et ecce uiuens sum in secula seculorum (Amen.) Et habeō claves mortis & inferni. Scribe ergo quæ uidisti (uides) & quæ sunt, & quæ oporet fieri (futura sunt) post hæc. Sacramentum septem stellarum, quas uidisti in dextera mea, & septē candelabra aurea: (subintellige, illud est) Septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum: & candelabra septem (quæ uidisti) septem ecclesiæ sunt.

Deinde angelus personam Domini

*Expositio
cadelabro-
rum & stel-
larū, quod
candelabra
figurent ec-
clesias, ut
in Zacha-
rie 4. cap.
et in taber-
naculo Mo-
sis.*

*Stella, pa-
stores, et
episcopos,
qui angelis
dicuntur, ut
Malach. 2.
cap.*

*Septem epi-
stolarū ar-
gumenta.*

CHRISTI gerens, dictat epistolas pro-
trepticas ad ecclesias septem, quædam
in eis uituperās, quædam laudans, alia
iubens seruare & facere, alia uetans:
utq̄ moueat ad obediētiam uerbi sui,
tum bona pollicetur, tum minatur pœ-
nas & supplicia. Utq̄ autoritatē suam
obtineant breuia hæc pontifícia & im-
peratoria & diuina, epistoleq; εγκύρων
non modò ad Asiacē pertinentes ecclē-
sias, sed etiam ad omnes CHRISTI san-
ctas ecclesias, epitheta uaria sibi Domi-
nus sumit, quibus naturā & uirtutem,
& opera sua declarat. Et crebrò apo-
phthegma peculiare suum, in Euan-
gelio positum aliquoties, repetit: Qui
habet aurem, audiat quid sp̄ritus lo-
quatur ecclēsijs: quò prouocat atten-
tionem in rebus momenti præcipui.
Proinde ut Christianismi descriptio-
nes hæ compendiariæ, uelut ob oculos
subjiciantur, distribuam in partes,
per singulas epistolas deinceps indica-
turus

turus epitheta CHRISTI, & quæ probet uel improbet: postremò quid pollicetur boni, & cōminetur mali. Primumque ponam epitheta ex apostolica salutatione Ioannis:

Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo: & fecit nos regnum & sacerdotes Deo, & patri suo. Ecce uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent omnes tribus terræ.

Qui tenet septem stellas in dextera sua: qui ambulat in medio septem can delabrorum aureorum.

Primus & nouissimus, qui fuit mortuus & uiuit.

Qui habet romphæam ex utraque parte acutam.

Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammæ ignis, & pedes eius similes au-

Epitheta
et tituli no
stri Domini
ni Iesu Christi

Ex Zach.
12. cap. 10.
an. 19.

q 2 richalco,

richalco. Ego scrutans renes & corda,
& dans unicuique secundum opera sua.

Qui habet septem spiritus Dei, &
septem stellas.

Sanctus & uerus, qui habet clauem
Dauid, & qui aperit & nemo claudit,
claudit & nemo aperit.

Amen testis fidelis, & uerus, qui est
principium creaturæ Dei.

Probat in Ephesijs opera, laborem,
patientiam propter nomen CHRISTI,
quod non defecerunt, quod probarunt
falsos apostolos, quod oderunt facta
Nicolitarum hæreticorum. Improbat
uerò, quod pristinam charitatem reli-
querint. Hortatur igitur, ut memine-
rint, unde exciderint, & penitentiā a-
gant, & faciant opera priora.

Probat in Smyrnēsibus, quod per-
ferat tribulationem, & paupertatem,
& blasphemiam eorum, qui se dicunt
Iudæos, cum satanæ potius synagoga
sint. Hortatur uerò, ne timeat, sed con-
stanter

*Quid Christus in ec-
clesia pro-
bet, laudet,
iubeat, pre-
mijs affi-
ciat : quid
conrà, ui-
tuperet ac
puniat, etc.*

stanter imminentes afflictiones perferant, & fideles perstent usq; ad mortē.

In Pergami episcopo & ecclesia laudat opera, quodq; nomen C H R I S T I retinent, neque fidem negant in ea urbe, in qua satan tenet sedem, & Antipam C H R I S T I fidelem testem occidit. Reprehendit autem, quod aliqui Nicolitarum doctrinā tenerent: hortatur igitur eos ad poenitentiam.

In Thyatirensibus probat opera, fidem, charitatem, ministerium, patientiam, quodq; indies in bonis promoueant. Reprehendit autē, quod ferant pseudoprophetissam, uelut Iezabelē quandam, seducentem fideles, ac decentem scortari, & idolothyta edere. Eos hortatur ad poenitentiam, cæteros sanos ad constantiam.

In Sardiēsibus laudat pauculos sinceros, qui non coinquinauerunt uestimenta sua, & ambularunt cum C H R I S T O. Vituperat autē pastore & alios,

q 3 quod

quòd nomen quidam gerant, ceu uiuant, cum sint mortui: quodq; opera eorū non sunt plena coram Deo. Hor tatur igitur ad uigilandum, utq; cōfirmentur quæ adhuc stant, in mortem tamen uergūt: ut recolant, quomodo acceperint institutionē Christianam, & audiant, & seruent, & resipiscant.

Philadelphios probat nomine ope rum, quòd ostium apertū à CHRISTO apud eos nō claudatur, quòd habeant uirtutem, & seruēt uerbum patientiæ ipsius, & non negarint nomen C H R I S T I. Quare illos hortatur, ut teneant quod habent, & nemo eis coronam præripiat.

Laodicēses uituperat, ut ambiguos, quòd neq; frigidī neque calidi sint: & stultos, sibi arrogātes opes spirituales, cum sint miseri, miserabiles, pauperes, nudi, & cæci. Quamobrem hortatur, & suadet, ut emant à CHRISTO ipso aurum ignitum probatum, nimirum uerbum

uerbum Dei purum, & charismata spi-
ritus; utque uestimñtis albis induantur,
ne appareat confusio nuditatis ipso-
rum; & collyrio inungant oculos, ut
uisum recipient: & exemplo honorū
enitantur ad resipiscientiam.

Mala quæ interminatur noster om-
nium Seruator IESVS, eiusmodi sunt.

Mouebo candelabrum tuum de lo-
co suo.

Veniam citò, & pugnabo cum gla-
dio oris mei.

Quoniam Iezabel, quæ se dicit pro-
phetissam, non uult pœnitere à forni-
catione sua, ecce mitto eam in lectum:
& qui cum ea moechantur, in tribula-
tione maxima erunt, nisi pœnitentiam
ab operibus suis egerint: & filios eius
interficiam in morte: & scient omnes
ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes
& corda, & dabo unicuique secundum
opera sua.

Si nō uigilaueris, ueniā ad te tanque
q 4 fur,

*Mala quæ
Dominus
minatur.*

sur, & nescies qua hora ueniam ad te.

Quia neq; calidus, neq; frigidus es,
incipiam te euomere ex ore meo.

Ego quos amo, arguo, & castigo.
Sed hec comminatio potius ad Domi
ni CHRISTI beneficia pertinet.

Bona uerò maxima Seruator pollici
tur uincentibus, & custodientibus us
que in finem opera ipsius.

Edere de ligno uitæ, quod est in pa
radiso Dei.

Qui uicerit, non lædetur à morte
secunda. Esto fidelis usq; ad mortem,
& dabo tibi coronam uitæ.

Dabo edere manna absconditum,
& calculum candidum, & in calculo
nomen nouum scriptum, quod nemo
scit, nisi qui accipit.

Dabo potestatem super gentes : &
reget eas in uirga ferrea, & tanquā uas
figuli confringentur, sicut & ego acce
pi à patre meo: & dabo illi stellam ma
tutinam.

*Sumptū à
more suffra
gandi per
calculos.*

*Ex Psal. 2.
Stella ma
tutina Chri
stus est, ut
Petrus 2.e
pist. expo
nit.*

Qui

Qui uicerit, uestietur uestimentis ali-
bis: & nō delebo nomen eius de libro
uitæ: & confitebor nomen eius coram
patre meo, & coram angelis eius.

Dabo de synagoga satanæ, qui di-
cunt se Iudeos esse, & nō sunt, sed men-
tiuntur. Ecce faciam illos ut ueniant,
& adorent ante pedes tuos; & scient,
quia ego dilexi te.

Quoniam seruasti uerbum patien-
tiae meæ, & ego seruabo te ab hora ten-
tationis, quæ uentura est in orbem u-
niuersum, tentare habitantes in terra.

Qui uicerit, faciam illum colum-
nam in templo Dei mei, & foras nō e-
gredietur amplius. Et scribam super
eum nomen Dei mei, & nomen ciuita-
tis Dei mei nouæ Hierusalem, que de-
scendit de cœlo à Deo meo, & nomen
meum nouum.

Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis
audierit uocem meam, & aperuerit mi-
hi ianuam, intrabo ad illum, & coena-

Vt in Evan-
gelio: Qui
me cōfessus
fuerit, etc.

Vt Prouer.
16. Si Deo
placuerint
uie homini-
nis, inimi-
cos eius cō
uertet, etc.

Vt Aposto-
licolumnæ
dicūtur in
epist. Gal.

Sumptu-
more ciui-
li, quo no-
mina ciuitat-
scribuntur
in alb. etc.

Vt Ioan.
14. Mansio-
nem facie-
mus, ex Es.
65. cap.

Vt Domi-
nus Aposto-
lis pollicet-
tur, Sedebi-
tis, &c.

Qui uicerit, dabo ei sedere mecum
in throno meo: sicut & ego uici, & sedi-
cum patre meo in throno eius. Qui ha-
bet aurem, audiat, quid spiritus dicat
ecclesijs.

I M A G I N E S I E S V
Christi, tenentis & explicantis librum fa-
torum & prædestinationis: in quo nomina
scripta sunt electorum ciuium cœlestium,
qui credunt in nomen C H R I S T I, & re-
proborum, qui non credunt. Apo-
cal. cap. v. vi. VIII.

Hunc librū
Dominus si-
gnificat di-
scipulis, di-
cens: Gau-
dete quod
nomina ue-
stra in cœ-
lo sunt scri-
pta. Ex Da-
niel. 12. ca.



T uidi in dextra sedentis su-
per thronū, librum scriptū
intus & foris (aliqui libri
om̄δω, ponē) signatum sigil-
gillis septem. Et uidi angelum fortē,
prædicantē uoce magna: Quis est di-
gnus aperire librum, & soluere signa-
cula eius? Et nemo poterat, neq; in cœ-
lo, neq; in terra, neq; subtus terrā, ape-
rire librum, neq; respicere (βλέπει ui-
dere)

dere) illum. Et (ego) flebam multum:
quoniam nemo dignus inuentus est ape-
rire, & legere librum, nec uidere eum.
Et unus de senioribus dixit mihi: Ne
fleueris. Ecce uicit leo (o w̄ existens) de
tribu Iuda, radix Dauid, aperire librū,
& soluere septē signacula eius. Et uidi,
& ecce in medio throni & quatuor ani-
maliū, & in medio seniorū, agnū stantē
tanq̄ occisum, habētem cornua septē,
& oculos septē, qui sunt septem spíri-
tus Dei, misi in omnem terram. Et ue-
nit, & accepit librum de (è) dextera se-
dentis in throno. Et quum aperuisset
(ελαβεν accepisset) librum, quatuor ani-
malia & uigintiquatuor seniores ceci-
derunt coram agno, habentes singuli
citharas, & phialas aureas plenas odo-
rimentorum, quæ sunt orationes san-
ctorum, & cantabant canticum nouū,
dicentes: Dignus es accipere librum,
& aperire signacula eius: quoniam oc-
cisus es, & redemisti nos (Deo) in san-
guine

Ideo amu-
lus Christi
dicitur ge-
rere cor-
nua duo,
uelut agni.

Thymiana
tis in taber-
naculo ex
templo, inter-
pretatio.

Ex Esa. 61.
66. quod dre
petit Pe-
trus epist. 1

guine tuo ex omni tribu, & lingua, &
populo, & natione. Et fecisti nos Deo
nóstro reges, & sacerdotes, & regna-
bimus super terram. Et uidi, & audiui
uocem angelorum multorū in circui-
tu throni, & animalium, & seniorum,
& erat numerus eorum millia milium
(codex Complut. *καὶ ἡ πόλις εἶδε τὸν μυ-*
ετάραντας μυριάσθων, centies millena milium)
dicentium uoce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere uirtutē,
& diuitias, & sapientiam, & fortitudi-
nem, & honorem, & gloriam, & bene-
dictionem, & omnem creaturam quæ
in ccelo est, & super terram, & subtus
terram, & (*καὶ* in) mari, & quæ in eis
sunt omnia. Et omnes audiui dicentes
sedenti in throno & agno : Benedi-
ctio, & honor, & gloria, & potestas in
secula seculorum.

*Christus a-
perit sigil-
la, colligēs
filios Dei
in regnum
omnib. secu-
lis. Contrā
tubē ad bel-
lū excitant
gerendū ad
uersus ecclē-
siam.*

*Equus figu-
rat homi-
nū genus,
ut iumentū
exponunt,
quo Domi-*

Et uidi, quod aperuisset agnus unū
de septem sigillis. Et audiui unum de
quatuor animalibus dicens, tanquam
uocem

uocem (ceu sono) tonitrui: Veni & ui de. Et uidi: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum: et data est ei corona, & exiuit uincēs (&) ut uinceret.

Et cūm aperuisset sigillum secundū, audiui secundum animal, dicens: Ve ni & uide. Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret (*λαβειν tollere*) pacem de terra, & ut in uicem se interficiāt: & da tus est ei gladius magnus.

Et cūm aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal, dicens: Veni et uide. Et ecce equus niger, & qui sede bat super illum, habebat statheram in manu sua. Et audiui (tanquam, Græci nō habent) uocem in medio quatuor animalium, dicentem: bilibris (chœnix) tritici denario (uno) & tres bili bres (chœnices) denario (uno): & ui num & oleum nelæseris.

Et cūm aperuisset sigillum quartū, audiui

nus uectus
est int urbē
Hierus. prē
mum secu
lum & in
nocētius, &
mundo cō
ditio ad di
luuium.

Secundū se
culū à diluc
uio ad Mo
sen & poli
tiam Israe
liticam.

Tertium se
culum à la
tione legis,
que omnia
reuocat ad
æquilibriū
diuinæ uo
lūtatis usq;
ad Christū.

Prohibet
corrūpere
scripturā,
alimentū uī
delicet spi
rituale, in
terpreta
tione falsa.
Quartū se

culū à Christo nato, usque ad Constantium. Sequitur autē infernus mortem. Nulla enim excusatio incredulis est relicta, Ioan. 3.15. Quintū seculū à Constantino, qui ecclesie parēparauit, usq; ad Antichristum adultū, & aperte iam potentiam exerentē regibus trib. subactis, ut Dan. 7. Laetantius ita cōqueritur eo defecuto lib. 7. capite 15.

audiui uocem quarti animalis, dicitur tis: Veni, & uide. (Et uidi) & ecce e- quus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors: & infernus se quebatur eum. Et data est illi (quidam aūris illis) potestas super quatuor par- tes terræ, interficere gladio, & fame, et morte, & (etā à) bestijs terræ.

Et cūm aperuisset sigillum quintū, uidi subtus altare animas (hominum, Arethas) intersectorum propter uer- bum Dei, & propter testimonium (agni) quod habebant. Et clamabant uoce magna, dicentes: Vsquequā Domi- ne sanctus & uerus non iudicas, et nō uindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra: Et datae sunt illis singulis stolæ albæ: et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modi- cum, donec compleantur (&) conser- ui eorum, & fratres eorum, qui interfi- ciendis sunt, sicut & illi.

Et uidi, cūm aperuisset sigillū sextū,

& ecce

& ecce terræmotus magnus factus est. Et sol factus est niger tanquam sacrus cilicinus, & luna (tota, non est in Græc.) facta est sicut sanguis: & stellæ de cœlo ceciderūt super terrā, sicut fuscus emittit (ab ijs cit, Bæm) grossos suos, cum à uento magno mouetur. Et cœlū recessit sicut liber inuolutus: & omnis mons & insula de locis suis motę sunt. Et reges terræ, & principes (magnates) & diuites, & tribuni, & fortis, & omnis seruus & (omnis) liber abscondent se in speluncis, & in petris montium. Et dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam uenit dies magnus iræ ipsius, & quis poterit stare? Deinde capite septimo indicatur, ut gratia Dei multitudinem hominū ingentem per C H R I S T I crucem seruet, ne perdatur Antichristi & draconis machinationibus.

Sextum seculum à dominatu Antichristi, usque ad ipsius reuelationem. v. 2. Thess. 2.

Et

Septimū se-
culum à re-
uelatiōe An-
tichristi, us-
que ad glo-
riosum Do-
mini aduen-
tum, & mū-
dib huius fi-
nem.

Et cùm aperuisset sigillum septimu-
factum est silentium in cœlo, quasi(cir-
citer) media hora.

I M A G O I E S V C H R I
S T I promittentis iterum Euangeliū
esse prædicandum in orbe toto, post apo-
stasiam: ut Antichristus reueletur,
& conficiatur. Apoc. cap. x.

Imago sum-
pta ex cap.
2. & 3. Eze-
chielis.



Tuidi alium angelum for-
tem, descendenter de cœ-
lo, amictum nube, & iris in
capite eius, & facies eius (e-
rat) ut sol, & pedes eius tanquam colu-
mnæ ignis. Et habebat in manu sua ll.
bellum apertū. Et posuit pedem suum
dextrum super mare, sinistrum autem
super terram: & clamauit uoce ma-
gna, quemadmodum cum leo rugit.
Et cum clamasset, locuta sunt septem
tonitrua uoces suas. Et quum loqua-
fuissent septem tonitrua uoces suas, &
ego scripturus eram. Et audiui uocem
de cœlo

de cœlo, dicentem mihi: Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli (ne) ea scribere. Et angelus, quem uidi stantem supra mare, & supra terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per uiuentem in secula seculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt: & mare, & ea quæ in eo sunt: quia tempus non erit amplius. Sed in diebus uocis septimi angeli cū coeperit tuba canere, (&) consummabitur mysterium Dei: sicut euangelizauit per seruos (Græc. seruis) suos Prophetas. Et audiui uocem de cœlo (& uox quam audiui iterū loquens) iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade & accipe librum aperatum de manu angelistantis supra mare, & supra terram. Et abiij ad angelū, dicens ei, ut daret (quidam dōs dato) mihi librum. Et dicit mihi, Accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari uentrē tuum, sed in ore tuo dul-

*Iuramentū
quonullum
in scriptu-
ris æquè se-
riū & gra-
ue. Opor-
tet igitur
etiam rem,
que illo af-
seueratur,
esse momen-
ti maximi.*

cis erit sicut mel. Et accepilibrum ē ma-
nu angeli, & deuoraui illum: & erat in-
ore meo tanquam mel dulcis. Et cum
deuorasse eum, amaricatus est uen-
ter meus. Et dixit mihi: Oportet te ite-
rum prophetare (ad uel super) po-
pulis, & gentibus, & linguis, & regi-
bus multis. Inde certamina ecclesiæ &
aduersariorum describuntur. & capi-
te quidem undecimo proponitur con-
flictus maximus: bestia, hoc est, Anti-
christo pugnante contra duos testes,
nouum & uetus testamentum uideli-
cet: quum Ecclesiæ intimū sacrarium,
nimirum illorum conspiratio, qui sibi
arrogant primatum in Ecclesia, uerbo
Dei redargendum fuit, non esse par-
tem sanctæ Ecclesiæ. Id ne factum sit in
eo Concilio generali, quo Ioannes ui-
gesimustertius conuictus parricidij,
maleficij, symoniæ, Sodomiae, & de a-
lijs, flagitijs, à pontificatu est deiectus:
Ioannes autem Husius, & Hierony-
mus

Ioanni dici-
tur, quod
iterū sit do-
cturus ho-
mines, non
ut corpore
præsens do-
ceat, sed ut
scripta ip-
sius iterum
sonet in mū-
do, & intel-
ligantur, et
autoritatē
habeant.

mus Pragensis combusti sunt, pijs iudicandum permitto.

IMAGO ECCLESIAE

sanctæ, quæ ope diuina cōseruatur aduersus omnes insultus cacodæmonis.

Apoc. cap. XII.



T signum magnum apparet in cœlo. Mulier amicta sole, & luna sub pedib. eius: & in capite eius corona stellarum duodecim: & in utero habens (grauida) clamat parturiēs, & cruciatur ut pariat (quæ cruciabatur pariendo.) Et uisum est aliud signum in cœlo. Et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem. Et in capitibus suis diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarū cœli, & misit eas in terram. Et draco stetit ante mulierē, quæ erat partitura, ut cum peperisset, filiū eius deuoraret. Et peperit filium masculū, qui

Ecclesia
Christū sol-
lem induit
omnia sub-
lunaria pe-
dibus cal-
cas, edidit
Christum.
Ecclesia e-
nim sanctæ
membrum
uel preci-
puum est Ma-
ria uirgo
mater Do-
mini.

Draco dia-
bolus per-
secutus est
Ecclesiam
per Hero-
dem, cona-
tus etiā in-
fantē Chri-
stum occi-
dere.

Baldā quo
que ita est
uaticina-
tus, Num.
24. cap.

In solitudi-
nē fugit Ec-
clesia in gē-
tes translata.

Persecutus
est ecclesia
occidendo
Stephanū,
Jacobū u-
trūq; &c.
ut Acta te-
stantur.

Per tēpus,
&c. ex Da-
niel. ca. 12.
quo signifi-
catur inde-
finitū tem-
pus. ut Do-
minus disce-
pulis dicit:
Non est ue-
strum noſſe
tēpora etc.
Tandē co-

recturus erat (est uīmē) omnes gentes
uirga ferrea. Et raptus est filius eius ad
Deum, & ad thronum eius. Et mulier
fugit in solitudinē: ubi habebat locum
paratum à Deo, ut ibi pascant eam die-
bus mille ducentis sexaginta. Et saētū
est prælium magnum. Et paulò pōst:
Et postquam uidit draco, quod proie-
ctus esset in terram, persecutus est mu-
lierem, quæ peperit masculum. Et da-
tæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ ma-
gnæ, ut uolaret in desertum, in locum
suum: ubi alitur (per) tempus, & tem-
pora, & dimidiū temporis, à facie ser-
pentis. Et misit (proiecit ἐβαλε) serpēs
ex ore suo post mulierem aquam tan-
quam flumē, ut eam faceret trahi à flu-
mine (peſſundaret.) Et adiuuit terra
mulierem, & aperuit terra os suum, &
absorbuit flumen, quod misit draco
de ore suo. Et iratus est draco in mu-
lierem: & abiit facere prælium cum re-
liquis (de) semine (semīnis) eius, qui
custo-

custodiunt mandata Dei, & habent te
stimonium IESV CHRISTI.

mouit Ne-
ronem, &
Rom. Impe-
ratores, &
alios mo-
narchas in
persecutio-
nem Eccle-
sie.

IMAGO IESV CHRI-
*propugnantis pro suo populo & Eccle-
sia. Apocal. cap. XIII.*

& XIX.

Copiosus
imago hæc
ponitur in
Esæ lib. 4.
cap. 13. nisi
quod Dei fi-
lius homi-
nis forma
monti Siō,
id est, Ec-
clesie insi-
stit, et cap.
2. iuuenis
coronam im-
ponens.

Tu iudi, & ecce agnus stabat
supra mōtem Sion: & cum
eo centū quadragintaqua-
tuor millia habentium no-
men eius, & nomen patris eius scriptū
(aliqui καὶ οὐκεν inustum) in frontibus
suis. Hi sunt qui cum mulieribus non
sunt coquinati: uirgines enim sunt.
Hi sequuntur agnum, quo cuncti ierit.
Hi (à IESV) empti sunt ex hominibus,
primitiæ Deo, & agno. Et in ore eorum
nō est inuentum mendacium: sine ma-
culâ enim sunt ante thronum Dei. Et
uidic coelum apertum: Et ecce equus al-
bus, & qui sedebat super eum (uoca-
batur, non est in Græc. libris) Fidelis

Christus
triumpha-
tor, ut Esæ.
cap. 63.

r 3 &

& uerax, & cum (in) iustitia iudicat,
 & pugnat. Oculi autem eius sicut flam-
 ma ignis, & in capite eius diademata
 multa: habens nomen scriptum, quod
 (aliqui, nomina scripta quæ) nemo no-
 uit, nisi ipse. Et uestitus erat ueste a-
 spersa (tincta) sanguine. Et uocaturno
 men eius V E R B U M D E I. Et exer-
 citus qui sunt in cœlo, sequebant eum
 in (super) equis albis, uestiti byssi-
 no albo & mundo. Et de (ex) ore eius
 procedit gladius ex utraq; parte (qui-
 dam non habent *Αισθητον* biceps) acu-
 tus, ut in ipso percutiat gentes. Et ipse
 reget (pascet) eas in uirga ferrea: & (ip-
 se) calcat torcular uini furoris (&) iræ
 Dei omnipotentis. Et habet in uesti-
 mento & in femore suo (nomen) scri-
 ptum: REX REGVM ET DO-

MINVS DOMI.

NANTIVM.

Imago

IMAGO ECCLESIAE
sponsæ CHRISTI adductæ in beatissimum
palatium regni Dei, & uitæ æternæ at-
que diuinæ felicitatis specimen,

Apoc. XXI. & XXII.



Tuidi cœlum nouū, & ter-
ram nouam. Primū enim
coelū, & prima terra abijt,
(præteriit *ωρανδών*) & ma-
re iam non est. Et ego Ioannes uidi ci-
uitatem sanctam (Hierusalem) nouam
descendentē à Deo de cœlo, paratam
(Beda, compositam) sicut sponsam or-
natam uiro suo. Et audiui uocem ma-
gnam de throno (è cœlo) dicentem:
Ecce tabernaculum Dei cum homini-
bus, & habitabit cum eis: & ipsi popu-
lus (quidam, populi) eius erūt, & ipse
Deus cum eis erit eorum Deus. Etab-
sterget Deus omnem lachrymam ab
oculis eorum: & mors ultrā non erit,
neque luctus, neq; clamor, neque do-

Imago sum
pta ex cap.
48. Ezech.
& Zacha.
12.14. & 4.
Efr. 10. ex-
planat my-
sterium ur-
bis Hierusa-
lem, Eccle-
siā referen-
tis. ut psal.
86. & sepe
in Prophe-
tis. Simul
explicatur
typus taber-
naculi &
templi.

Ior (πόνος labor) erit ultrà. Quia pri-
ma abierunt (præterierunt.) Et dixit,
qui sedebat in throno: Ecce noua facio
omnia. Et dicit mihi: Scribe, quia hæc
uerba (Dei) uera & fidelissima (fide-
lia, id est, firma & certa ~~mea~~) sunt. Et di-
xit mihi: Factum est, (aliqui γέγονε fuit,
aliqui γέγονε fui, legunt) ego sum alpha
& omega, initium & finis. Ego sicuti dabo
de (ex) fonte aquæ uiuæ gratis. Qui ui-
cerit, possidebit (pro ἀληθονομάχῳ) hære-
ditabit; quidam legunt, dabo ei) hæc:
& ero illi Deus, & ipse erit mihi filius.

*Vt de Solo
mone quo-
que scriptū
est: Ero illi
pater, & ipse
mihi filius.
Qui exclu-
daneur à re-
gno Dei,
sintq; re-
probi, & fi-
lii perditio-
nis æterne.*

Timidis autem & incredulis (& pecca-
toribus) & execratis, & homicidis, &
fornicatoribus, & ueneficis, & idolo-
latris, & omnibus mendacibus, pars il-
lorum erit in stagno ardenti igni & sul-
phure, quæ est mors secunda. Et uenit
ad me unus de septem angelis habenti
bus septem phialas plenas septem pla-
gis nouissimis, & locutus est mecum,
dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam
Agni

Agnī uxorem. Et sustulit me in spiritu
in montem magnū & altum, et ostendit mihi ciuitatem (magnam) sanctam
Hierusalem, descendente mē cœlo à
Deo, habentem claritatem (δόξαν glo-
riam) Dei. Et lumen eius simile lapidi
pretioso, tanquam lapidi iaspidi, sicut
crystallum (κρυστάλλον, id est, crystallū
referenti) Et habebat murum magnū
et altum, habētem portas duodecim,
et in portis angelos duodecim, et no-
mina inscripta, quæ sunt nomina duo-
decim tribuum filiorum Israël. Ab ori-
ente portæ tres, ab aquilone portæ
tres, ab austro portæ tres, & ab occasu
portæ tres. Et murus ciuitatis habens
fundamenta duodecim, et in ipsis duo-
decim nomina, duodecim Apostolo-
rum agni. Et qui loquebatur tecum,
habebat mensuram arundineam (λιο-
ναριον arundinem) auream, ut metire-
tur ciuitatē, et portas eius, et murum
eius. Et ciuitas in quadro posita est: et

Vnum sun-
damenium
Propheta-
rum & A-
postolorū,
quod om-
nes Aposto-
li posuerūt
nōce Chri-
stus.

r 5 longi

longitudo eius tanta, quanta & latitu-
do. Et mensus est ciuitatem (de) arun-
dine (aurea, non est in Græc.) per sta-
dia duodecim milia (circiter duode-
cim milia stadiorum). Et longitudo,
& altitudo, & latitudo eius æqualia
sunt. Et mensus est murum eius cen-
tum quadragintaquatuor cubitorum
mensura hominis, quæ est angeli. Et
erat structura muri eius iaspis: (aliqui,
ex lapide iaspide) ipsa uero ciuitas au-
rum mundum simile uitro mundo. Et
fundamenta muri ciuitatis omni lapi-
de pretioso ornata. Et fundamentum
primum iaspis, secundum sapphirus,
tertium chalcedonius, quartum sma-
ragdus, quintum sardonyx, sextum
sardius, septimum chrysolithus, octa-
uum berillus, nonum topazius, deci-
mum chrysoprasus, undecimum hia-
cynthus, duodecimum amethystus.
Et duodecim portæ, duodecim mar-
garitæ sunt: per singulas & singulæ
portæ

portæ erant ex singulis margaritis (& singulæ ex singulis erant). Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam uitrum pellucidū. Et templum non uidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templū illius est, & Agnus. Et ciuitas non eget sole, neq; luna, ut luceat Esa. 60. in ea. nam claritas Dei illuminauit eā, & lucerna eius (est) Agnus. Et gentes (eorum qui seruantur) ambulabūt in (alijs per) lumen eius. Et reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam. Et portæ eius non claudentur per diem. nox enim non erit illic. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam (ut ingrediantur.) Non intrabit in eam aliquid coinqūinatum, aut abominationem faciens, & mendacium: nisi qui scriptis sunt in libro uite Agni. Et ostendit mihi fluuium (purum) aquæ uiuæ, splendidū tanquam crystal lum, procedētem de sede (prodeūtem è throno) Dei & agni, in medio plateæ eius.

Idest, tam
illi urbē in
gredi pos-
sunt, qui fi-
de Christo,
morte sua
tollēti pec-
catū mun-
di, sunt in-
siti.

eius. Et ex utraque parte fluminis li-
gnum uitæ , afferens fructus duode-
cim, per menses singulos reddens fru-
ctum suum: & folia ligni ad sanitatem
gentium . Et omne maledictum non
erit amplius: sed sedes Dei & agni in
illa erunt. Et serui eius seruient illi: et
uidebunt faciem eius: et nomen eius
in frontibus eorum. Et nox ultrà(ibi)
non erit. Et non egebunt(lumine)lu-
cernæ, neq; lumine solis: quoniam
Dominus illuminabit illos,
& regnabunt in secula
seculorum.

F I N I S.

ERRATA.

Pagina. 19. uersu 16. Camarinam: & sic etiam scriben-
dum est pag. 96. uers. 8. 27. 3. expatiari. 40. 16. Pen-
thesilea. & 43. 15. religionis. 50. 15. sapientiam mun-
di. 62. ult. exempla. 98. 2. hominum. 105. 10. uen-
dicaret. 107. 6. templi. 108. 3. determinauit popu-
lus. 109. 11. Danielis. 114. 18. Habet. 116. 11. aut ho-
mines. 114. 12. Queramus. & 19. iam hinc. 138.
penult. inserta. 155. penult. abducere.

Reliqua æquus ac diligens lector fa-
cilè animaduertet.

B A S I L E Æ, EX
officina Ioannis Oporini,
anno salutis humanæ

M. D. LIII.
mense Martio.

1165
The King's English

103827
OCN 1306068820